M. Antonij Bonciarij
TRIVMPHVS AVGVSTVS,
SIVE DE SANCTIS PERVSIAE TRANSLATIS
Libri IV.

Iisdem alia Poemata pia, moralia, iocosa.

Ad Illustrissimum, & Reuerendissimum
S. R. E. Cardinalem F. BORROMAEVM.

Cum Priuilegio Summi Pontificis.



In Augusta PERVSIA
Apud Marcum Naccarinum. CIↃ IↃCX.

Illuſtriſsimo ac Reuerendiſsimo

S.R.E. CARDINALI

ET ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI

F. BORROMAEO

M. Antonius Bonciarius S. D.

QVOD ego facere vnquam non potui, vt in conſpectum tuum venirem, tibique ſtudium atq; obſequium meum præſens teſtarer, Illuſtriſſime ac Reuerēdiſſime Princeps: id nunc tandem iubeo calamum exequi, & explere officium meum Muſas meas. Quæ tametſi non ignorabant & celſitudinem tuam, & humilitatem ſuam; fidenter tamen atq; alacriter te ſalutatum, & ſe tibi conſecratum venerunt: hoc ſcilicet ſecum reputantes, doctiſſimo ac religioſiſſimo Antiſtiti non tam

ſeſe diſplicituras, quia rudes ſunt; quam forſitan placituras, quia piæ. Adiuuabant conſilium atq; audaciam noſtram tui appellandi cauſæ pariter duæ, altera publica, altera priuata. Publicam voco inclytam atq; conſtantem famam non ſolum pietatis, doctrinæ, humanitatis tuæ, quæ ſunt tibi cum aliquot Principum communia, ſed etiam generoſitatis, beneficentiæ, magnificentiæ, in quibus haud ſcio ſi hac tempeſtate quemquam habeas æqualem, certe in præſens non habes, neque in poſterum habiturus videris ſuperiorem. Omitto in præſentia, vim quantam pecuniarum effundere ſoleas vel in pauperũ omnis generis alimenta, vel in templorum totiuſque cultus diuini ornamenta: quamquam eſt vtrumque in te ſingulariter eximium, & eximie laudandum. illud me afficit in primis, & cum ingenti admiratione delectat, inſigne monumentum extructæ, ornatæ, locupletatæ, demum etiam dotatæ ampliter Bibliothecæ. In qua quidem præter librorum optimorum grandem ſupellectilem, vndique gentium ſummo ſtudio & magnis impenſis conquiſitam; vnum præcipue ſoleo

mirari,

mirari, tam nouum excogitatu & prudens inuētu, quam reipublicæ litterariæ pariter fructuoſum & glorioſum. illam dico Societatem atque Collegium, non vtique tironum adoleſcentium, ſed virorum ingenio atque doctrina præſtantium, quos grandi ſtipendio auctos Bibliothecæ tanquam Præſides, atq; Alumnos attribuiſti. Erant affatim per Italiam, & per Inſubriam Collegia, in quibus ad omnem Humanitatem iuuentus informaretur: vnum adhuc deerat, in quod viri eruditi cooptarentur, & rem litterariam pręclaris ingenij monimentis augerent & ſuis & alienis. Ita quondam rex ille Philadelphus in ſuam Bibliothecam non modo ſcripta optima temporum ſuperiorum congeſſit; verum etiam qui optima ſcriberent ederentque, habuit paratos: in his magnum illum Theophraſtum, & Demetrium Phalereum cum ſchola duum millium ſectatorum. hoc nimirum eſt primum animam indere, deinde alimenta ſuppeditare, demum & perennem vitæ vſuram impertire Bibliothecis. in quo eſt tamen Illuſtriſsime Antiſtes, non ſolum tua virtus & ſapientia, ſed etiam tua fortuna lau-

datior, quod idem præstas & Rei litterariæ Magistros, qui optime scribant, & materiam optimam de qua scribãt. Habet familia Borromęa viros dignitate Principes, auctoritate venerandos, amplitudine potentes, & rebus gestis vehementer insignes, qui possunt disertos calamos fatigare multorum. post quæ tamquam sidera splẽdentia, & identidem sibi succedentia Sol ille tandem exortus est Carolus Frater patruelis tuus: qui postquam fulgore sanctitatis Italiam, Europam, omnes terras impleuit, ad extremum inter beatas illas Mentes receptus, nunc vt cum maxime splendet a suo Cœlo, aliàs excitans atq; alliciens pios Vates ad se canendum, aliàs prę-stinguens ingenij aciem canere conantium, sacer Apollo.

Et hæc quidem publica est causa venerationis ac deuotionis aduersum te omnium litteras colentium, generosissime Antistes. à qua fateor me quoque inter ceteros, vel potius supra ceteros rapi consuesse ad contestandum aliquo argumento gratum erga te animum Reipublicæ litterariæ præsentium pariter & posterorum. Sed accedit altera priua-

ta,quæ ſtimulos mihi adiungit ſubditque (vt aiunt) calcaria currenti. Ioannes Baptiſta Saccus flos ille litteratorũ,& tuę Amplitudinis egregius cultor non ſemel ad me ſcripſit, & quam libenter lucubrationes ac vigilias meas legere ſoleres; & quam propterea excogitaueras mei, meorumque ſtudiorum fouendi, ornandi, augendi occaſionem. qua vtinam mihi per fortunã,per ætatem,per valetudinem vti licuiſſet. præſens præſenti tale ſtudium, & obſequium, & fidem tibi præſtitiſſem,quale vereor vt abſens calamo adũbrare, nedum exprimere ſatis poſſim. Conabor profecto, & quantum potero ſcriptis ac voce contendam, vt boni omnes intelligant mihi ad gratias agendas, inſigneſq; virtutes tuas deprædicandas præſto ſemper fuiſſe voluntatem: vt etiam aggredi auſus fuerim:ſed ingenium haud fuiſſe ſuſtinendo, coactumq; ſuccumbere oppreſſum immenſo pondere meritorum.

Expoſui breuiter, quid publice, quid priuatim me adduxerit ad te appellandum, atq; ad hanc tibi oſtendendam memoris & grati animi exiguam notam. Sed ad rem feſtinan-

dam, & continuo efficiendam me in primis hortatus est Reuerẽdissimus Antistes ac Dominus meus Neapolio Comitolus. Cuius per sese auctoritas grauissima, multo tamen grauior in hoc negotio esse apud me debuit, quod neq; obseruantiorẽ tui, neque similiorẽ esse alterũ mihi persuadeo. Declarat hoc infatigabile studium excolendæ, augendæ, propagandæ pietatis. declarãt extructa Collegia erudiendæ atque informandæ bonis artibus iuuentuti. declarant Templa nuper restituta, nouis Cultoribus exornata, & amplis vectigalibus instructa, Sãctis Præsidibus Perusinis, ab illo translatis, a me cãtatis, tibi cõsecratis. Da veniam calamo sic incitato, Benignissime Antistes, & patere me loco forsitã importuno erumpere, quam iam dudum animus parturit liberam vocem. Ego discrimen laudabilis atque illaudabilis Prælati, colligo potissimum ex eo, Quanti æstimet diuitias. Si cui enim non dicam magnæ illæ sunt, sed magni; non erit ille magnus. Dicam aliquid apud te audacius. B. Carolum fratrem tuum Antistitis verum exemplar ad eam normam, quam præscribit per Apostolum Spiritus Sã-

ctus,

ctus, plerique commendant quod in ſeſe auſterus, in alios facilis, in Deum religioſus, ardens, aſsiduus foret. hinc multa miranda Sancto Viro & viuenti, & poſt mortem patrata commemorãt, nobis etiam (ſi Numen præſto fuerit) laudanda & mittenda in litteras. verum enimuero nihil ego quidem ſuſpicio magis, & nullum ſic admiror miraculũ, quam quod in ſuo pergens difficillimo & amplisſimo munere gubernandi, ſummam illam tot millium aureorum, quæ quotannis legitimo iure ab Eccleſijs ſibi creditis capiebat, Summo Pontifici ſponte renunciauit, & vix tantulum ſibi reſeruauit ad victum cultumq; tenuiter ſuſtinendum. Eant modo qui ex peculio Eccleſiaſtico, de victu pauperum, de cultu templorum, de ingenuis diſciplinis nihil penſi habentes, ampla ſola terrarum, & villas regalem in modum ędificatas, & ituros in poſteritatem nouos titulos Regulorum & Dynaſtarum, denique omnis generis delicias amœnitateſque, id eſt omnium illecebras voluptatum hæredibus ſuis relinquere ſtudent. Carolus Borromæus Cardinalis, clariſsimo genere ortus, & Pij IV. Pontificis nepos

pos tantum abest, vt thesauros sibi congereret, vel in talia profunderet, vt quas etiam pecunias honeste habere licebat, vltro largiter reijceret, atque illud nescio quid non tam sibi, quam pauperibus relictum teneret. Nisi quis in contrarium reputando dicere malit Fratrem tuum, Illustrissime Antistes, auarissimnm fuisse omnium mortalium, quippe qui grandem illam summam pecuniarum nō proiecerit, neque disperderit, vt vulgo videtur, sed potius fœnori crediderit, vsuras longe amplissimas suo tempore exacturus, vt iam exegit, regno insuper & immortalitate donatus. Neque hoc tantum, sed eum proxime Summus Pontifex Paulus V. etiam in Catalogum censuit referendum esse Sanctorum. Quam quidem palmam vt tu quoq; ab aliquo Pontificum, sed sero admodum accipias vouemus, hoc est non antea, quam simillimus tui aliquis à te acceperit, vel potuerit accepisse. In Augusta Perusia. Ex Coll egio S. Bernardi Calendis Sextilibus. CIↃ IↃ CX.

CANDIDIS

CANDIDIS LECTORIBVS.

Franciſcus Maſsolus. S.

Compoſui, & hic primum in fronte collocaui omniũ Opuſculorum, quæ hoc libro continẽtur, Catalogũ paulo forſitã vberiorẽ, quã res deſideraret. Breuis eſto, & eadẽ vera purgatio. Volui, hac ratione vobis ſcilicet eſſe conſultum Lector erudite, Lector occupate. vt nimirum vterq; in principio haberetis non ſolum Indicem ad ea requirenda, quæ cognoſcere velletis; verũ etiã hoc quaſi argumentum, ſiue breuiarium rerum, de quibus in quoque Opuſculo diſſeritur. Epiſtolæ Poëmatis interiectæ leguntur. non temere: cum ad ea magnopere pertineant dedicantes, purgantes, ornantes. Quam ſcribendi varietatẽ illi amant in primis (& nos illis quoq; ſtuduimus gratum facere) qui non nimium Muſis, præſertim Latinis ſapiuntur. Loco adhibita ſtili mutatio recentis ferculi ſpeciem præ ſe fert: famem excitat plura cognoſcendi, & lepide caſtigat ſatietatem. Valete.

Catalogus

Catalogus OPVSCVLORVM, QVAE IN HOC POETICORVM

Primo Volumine continentur.

TRiumphus Auguſtus. Libri quattuor De Sanctis Peruſiæ Tranſlatis, Herculano, Benueniate, Petro Abbate; illo Epiſcopo, his Monachis & Ciuibus Peruſinis; Per Reuerendiſſimum Antiſtitem Neapolionem Comitolum, XVI Cal. Iun. CIↃ IↃ C IX. pag. 1.

Centimetrum Symbolorum & Epigrammatum in Tranſlationem S. Herculani Iunioris, Epiſcopi, Martyris per Conuictores tũc degentes in Collegio Auguſto S. Bernardi pag. 87.

Ad eruditos Lectores Purgatio puerilium verſuum, lemmatum, epigrapharum ſiue inſciptionum, ex quibus Centimetrum compoſitum eſt. ibidem.

Ad

Ad ingenuum Ludimagiſtrum Reſponſio, per quam illi oſtenditur, qua ratione noſtri adoleſcentes Epigrammata, ſiue Odas meditari atq; apte concludere doceātur. pag. 149.

Neopſichia, ſiue Seraphidos libri tres, De Indulgentijs per Seraphicum S. à Cœlo impetratis, & ipſo Dei ore communicatis atq; attributis Templo Virginis Angelorū apud Aſiſium in ſingulos annos. pag. 156.

Votum Deiparæ Virgini nuncupatum, & mox dicatū in ſacra Aede Lauretana. pa. 216

Excidium Græciæ, ſiue Sarthenidos liber ſingularis. in quo cauſæ potiores recenſentur, quare illa prouincia, diuino iudicio, in barbarorum tyrãnidem præceps ruiſſe videatur. pag. 227.

Gerardus S. Bernardi Abbatis Claraualleſis Frater, mirando miraculo ad Chriſtum conuerſus, ſiue Ardiados libri duo, Ad Clariſſimum Principem Volfangum Theodoricum Archiepiſcopum Salſpurgenſem. pag. 249.

Ad lectorem Excuſatio ſuper Ardiade, primum iuueniliter ab Auctore cōſcripta, deinde negligenter ab alijs impreſſa. pag. 256.

Hieropylus, Carmen de ſacris foribus à

Cle-

Clemente VIII. Pont. Maximo patefactis, Anno Seculari CIↃCIↃ. pag. 295.

Ad Guidum Sensium de Hieropylo festinantius in lucem prodeunte. pag. 312.

Ad Reuerendissimum D. Neapolionem Comitolum Episcopum Narratio exortæ quæstionis inter edendam Seraphida circa Stygmata B. P. Francisci. pag. 314.

Triumphus Seraphicus, siue de Stygmatis Seraphico Patri cœlitus donatis. pag. 318

Otho Sealptor Mediolanensis, quãto pauperior, tanto vir melior & liberalior, Poema de laudibus S. Ambrosij Episcopi, publice cãtatũ apud nos in ferijs S. Nicolai. pag. 322

Excellentissimi Prioris Siluestri Aldobrandini Cardinalatus, dono missus ad Magium sub ferias Natales Christi Redemptoris. 335

Carmen ad V. C. Antonium Quærengum, quod illum ad suos versus in publicum edendos hortatur. pag. 347.

Carmen ad V. C. Iustum Lipsium super Ostenden Flandriæ Vrbem, à Catholicis obsessam, mox expugnandam. pag. 354.

Carmen ad Virum eruditissimum Alexandrum Magium, Perusiæ Vmbriæq; Prolegatũ. 355.

Epi-

Epigrammata duodecim de Christo Redemptore, de Matre Virgine, de alijs Cœli ciuibus ad P. Isidorum Pictorium. pag. 358.
Rosarij quindecim mysteria, totidem distichis comprehensa. pag. 365.
SS. Apostolorum Simonis, & Iudæ Thadæi miraculum, quo pium Diaconum ab infamia liberarunt, & regulam nobis pręscripserunt parcendi inimicis. pag. 370.
Elegiæ duæ, quibus laudes Melopeponis per iocum recensentur. prima illum comparat cum Magno Rege Alexandro, altera pręfert omni generi ruraliũ eduliorũ. pag. 375.
Satyræ duæ pariter ioculares aduersus nostri seculi Poetas. pag. 387.
Epistolæ tres ad Magium, ad Saccum, ad Mercatum, quibus res ad Poemata spectantes nonnullæ significantur. pag. 394.
Ad Publium Petreium Stirpium Archidiaconum Epistola de numero, & ordine librorum deinceps cudendorum Musis fauentibus, Deo annuente. pag. 399.

Admonitio

Admonitio.

ERratorum alia Operarum sunt, quæ sic corrigo pagina 103. versu 3. qui non quin. pag. 149. vers. 1. per non pre. pag. 171. vers. 13. gignit non gigni. pag. 172. vers. 5. tibi non ijbi. pag. 180. vers. 1. Et premit & calcat hi-quatuor versus abundant. pag. 181. vers. 126. equum non æquum.

Alia sunt non Operarum, sed ipsius auctoris, eaq; multiplicia. Primum in vocibus, nunc licenter compositis, vt Leuconiger, siue Alboniger, Regemmatus, Repersequor & alia plura; nunc violenter inflexis, vt Spebus in casu auferendi numero multitudinis; & Opulens opulentis pro Opulentus a, vm. Deinde in amplianda vocum significatione, vt Recingo non tantum pro Discingo. sed etiam pro Iterum cingo. Thetis Thetidos, & Tethys Tethyos pro eadem maris, fluuiorum atq; nympharum Dea, idest tam pro coniuge Neptuni, quam pro filia Nerei & matre Achillis indifferenter. sic Tiberis Tiberis, & Thybris Thybridis pro eodem flumine; sic Tholus pro Toro, & alia quædam. postremo in syllabis liberius metiendis, vt Interpolo, Præstolor, Arbitror penultima communi. sic Frustra Vltra Contra cum gerundijs in do vltima breui. rarum antiquis melioribus, qui quædam semper, quædam fere semper producunt. sed de his singulis, alijsque ad rationem poëticam spectantibus, abunde dissertum est in Proapologia mox diuulganda (si Calliope faueat) cum Extatico de Ludicra Poësi.

M. Ant. Bonciarii
TRIVMPHVS AVGVSTVS,
Siue de Translatione Sanctorum Perusiæ celebrata,

Per Reuerendissimum
D. NEAPOLIONEM COMITOLVM
EPISCOPVM.

Liber Primus.

Bernardini Zibellini Collegæ
Argumentum.

NItitur Italidū Vates canere arma. Sed Ales
Impedit Augustæ Præses, Musamq; reponit
Sacra renarrantem. Morbo correptus acuto
Cum Pater Augustus decūberet: Aethere in alto
Consulitur seu mors hominem, seu vita maneret
Longior. Hanc nostri pōscūt Ciuisque, Paterque,
Turrenus Ciuis, Syrius Pater. Ipse duobus
Indulget Dominus, mandataque certa remittit.
Ad sua descendunt obeunda Comitia Patres
Augustam terni, Assisinas, Nursinus, Iberus.

A TVR-

TVRRENAS Acies, & formidata rebelli
Auſoniæ dum bella nouis intexere chartis
Molior; in primiſq; altum ſuper æthera cantu
Tollere Bracchiadas, Piccininoſque retento,
Terrores Regum, atq; inuicti Martis alumnos;
O ego quas Cælo nocturnas atq; diurnas
Incaſſum voces atq; irrita vota profudi!
NOX fuit Herculeũ propius viſura Triũphũ,
Et mox ducendas Auguſta per oppida Pompas,
Cum repeto carmen ſurdas ad Apollinis aures
Vota ferens eadem, Dircæaq; limina pulſans;
Et prece Caſtalidas multa, Cælumq; fatigo
Nequicquã. Rutilos properabat Lucifer ortus,
Eoãmque plagam, ſpatioſaque limina Cæli
Iuſſerat, emota ſtellarum plebe minorum,
Vndiq; laxari: qua princeps luminis, & rex
Molitur per aperta viam, Mundi altor Apollo.
Tunc laſſatum animo corpus, ſomnoq; grauatum
Excipit alta quies. furtiuos ebria rores
Pectora concipiunt, & grata obliuia potant.
Nec mora: sẽſilibus vitæq; animæq; miniſtris,
Tanquam mancipijs in mollia vincula furtim
Tranſductis: Mens ipſa fores ėgreſſa nitentes,
Liberiore via liquidum ſecat aëra pennis
Præpetibus, Cælo ſpatians inuecta ſereno,
In clara ſe luce fruens: cum venit eunti
Obuius, Auguſtæ qui pręſidet Angelus Vrbi,

Atq;

Atq; hæc increpitans tumido prior inſonat ore.
QVID tu amens tentas incœpta profana? quid
Ad cãtus cæleſte vocas noſtrũq; leuamẽ? (iſtos
Quæ dum lentus amas, vox irrauceſcit, & ætas
Defluit, inſperſis furtim per tempora canis.
Quod ſi florentis pars excellentior æui,
Per doctos conſumpta iocos, perijſſe putanda eſt,
Vt perijt, tamquam flores in Vere cadentes,
Non expectato, vt coëant in pignora fœtus
Arborei, & matrem numeroſa prole fatigent:
An tu, quos etiam diues tibi prorogat annos,
Iam moriens æſtas, & nunc oriens Autumnus,
Protinus ignauæ tempus confine ſenectæ,
Auferri demens ludo patieris inani?
Et Cælo hæc etiam morti propiora negabis
Tempora? Sit Genio tandem ſatis, atq; iocoſis
Luſibus indultum. iuueniles abijce nugas,
Atque ad ſacra ſacram cõfer cantanda Poëſim.
Hic ego, Nil cupiam, dixi, flagrantius. Aſt ô
Cæleſtum flos Aligerum, fortiſſime Præſes,
Quid moduler tãdẽ? quaue argumenta capeſſã
Tu precor inſinua; rerumque exordia pande.
Sic tibi diuinas contingat ſemper ad aures
Moribus ex noſtris nil non afferre ſecundum,
Optandumq; Deo. Quæ vix extrema profatus,
En videor ſublime rapi, cultoſq; ſub hortos
Ingrediens gelidam requieſcere feſſus ad vmbrã
Molle ſuper pratum, varijs inſigne figuris
Omnigenum late florum, quos Dædala prægnãs

Rore parit Tellus alia sub luce coacto.
Non color est vnus folijs, non vnus ab alto
Fragrat odor. facies radiat diuersa colorum,
Et pariter facies diuersa spirat odorum,
Inter se dubio certamen Marte cientum,
Huius an illius veniat mulcere voluptas
Amplior errantem, seu pollice prata metentem.
Hic igitur viridi iubeor recubare sub vmbra,
Quam parit intēdens frondētia bracchia laurus,
Dum Zephyrus medios afflatu diuidit æstus,
Et blādū resonat vacuas fons murmur ad aures,
Fons vitreis fœcundus aquis, aspergine largo
Rura fouens, late immissis per gramina riuis,
Fundere vitales in mollia viscera succos.
Hic ego, puluillos qua strauerat alma virentes,
Et pictum Natura torum suffulserat, hæsi:
Quidue oculis quidue aure legā, mox credere mēti
Suadeor, & fidis quam primum reddere chartis.
Hæc te Virgo, inquit, referens referenda docebit,
Quā tibi Patronam, comitēque ducēque relinquo,
Augustam rediens tutarier ocyus Vrbem.
In quam furtiuo subiens Discordia lapsu,
Tartareas armata faces sæuosque colubros,
Monstrum immane, audet pectus tentare meorū.
Angelus hac. celeresque rotans eò dirigit alas.
Agnoui Vraniam, non ignoratus ab illa.
Cuius ope primū calido mihi dictus in æuo est
Ardiadum Princeps Galla de gente Gerardus.
Post-hac Laurigeros mecum cantauit honores,
Et

Et Votum Dominæ ſacram ſuſpendit ad Aram.
Vltimus ingenij labor eſt Aſiſius Heros,
Seraphicũque decus. Sedenim quod tẽpore ab illo
Non tuba, ſed graciles nobis inſlentur auenæ,
Vel tuba. ſed ludos altum ſtrepat inter inanes:
Diua prior carpit. læta mox fronte renidens,
ACCIPE, quæ cantes oracula, dixit, ab alto,
Quæ vidi Vrania, & memori ſub pectore conde.
Altera prætereunt fugientis tempora Veris,
Et (memini) lux iſta fuit, lux ſeptima dena,
Quæ tridui ſpatium Maias ſupereminet Idus,
Aque bis octonis venit appellanda Calendis
Falciferi menſis Iuni: cum preſſus iniquo
Comitolus morbo, & longum vexatus ad imam
Protinus acceſsit lethei marginis oram.
Ac ſe ſe Superis animo conſtante pioque
Crediderat, curaſque alias poſt terga fugaces
Reppulerat, ſolidam ſuſpirans corde ſalutem.
Ecce ſuper Cælos, magnique ſub ora Tonantis,
Qua comitũ radiat ſplendentior ordo fruentum
Adſtantumque Deo: contractis Penniger alis
Aſſuit, & reuerens curuato poplite pronus
Hæc ait. Aetherij Rex immortalis Olympi,
Qui mare, qui terras atq; infera regna gubernas
Immotus ſolio ex alto: mea cura Sacerdos
Neapolio Auguſtam qui (te donante) tot annos
Temperat Eccleſiam, quo non reuerentior alter
Numinis eſt: poſt Eccleſiam compluribus auctam
Dotibus, & ſacris in priſtina iura relatis:

Post informandæ Collegia structa iuuentæ,
Legibus armata, & doctis exculta Magistris:
Post instauratas, & vectigalibus amplis
Dotatas Aedes Superum, fidosque sacrorum
Cultores arcessitos: post condita demum
Perfugia, infaustis tecta opportuna maritis,
Quas fallax coniunxit Amor, furiæque sinistras
Præluxere faces: ille inquam noster Alumnus
Post exantlatos Superum pro laude labores,
Excubiasque diem pariter noctemque peractas,
Numquam intermissas, alij dare lampada tādē
Cogitur, in placidum declinans lumina somnū.
Illum ego discedens languenti corpore dudum,
Et longo implicitum morbo, sed mente valētem,
Et Cælo grates referentē, hymnosque canentem
Solemnes Superum moribunda voce, reliqui.
Et nunc mādatum, Pater, expectamus vterque
Imperiumq; tuum, faciles quodcumq; iubemur
Atque alacres excepturi. Das viuere? Vita
Non grauis est. diros ægro de corpore morbos
Eijce, depulsumque reduc per membra vigorem.
Stat restauratam tibi gratia multa sub Aedem.
Forte mori mauis? iā iamq; ad pręmia fessum
Cursorem capiunda, domos intrare beatas,
Nobiscumque iubes æuo meliore potiri?
Hoc quoq; iucūdū est. grates tibi reddimus. Ille
Scilicet hoc secū, Tria sūt mihi, Mēs, Caro, Cen-
Carnē terra suā repetit: tibi Sancte dicaui (sus:
Heraclides Censum: Dominus tu suscipe Mentē.

Quæ

Quæ postrema sui cum verba referret Alumni
Angelus, atque ab se subiungere plura pararet:
Arbitror, vt rerum fesso, longumque iacenti
Tandem pacta quies, limenque pateret Olympi:
Nõ tulit Herculeus Martyr, seque ante Tonãtẽ
Vltra ferẽs: Ignosce, inquit, mitissime Princeps,
Interpellanti. Diuûm reuerentia maior,
Nõ proprius me tãgit honos. Pulcherrima nobis
Templa superstruxit, donisq; perennibus aucta
Credidit Augustis obeunda nepotibus Heros,
Nomine non vno, nec causam gratus ob vnam
Comitolus Cælo. Sed enim cum grande supersit
Munus adhuc implẽdũ homini, quod tẽpla repo
Et repetũt orbata vnũ, magis õnibus vnũ (scũt,
Orãtque implorãtque, meũ sua pignora corpus:
Quod Petrus ante habuit, nũc in Laurẽte locatũ
Hoc prius in ꝓpriã trãsferri cõuenit Aedẽ, (est:
Et nostros nostra cineres in sede recondi,
Quam fas sit miscere suos, puroque potiri
Aethere Comitolum. Fuerat mihi cõdita quõdã,
Nũc instaurata est pariter mihi sanctior Aedes.
Cur aliena colam? cur non mea tecta reuiso?
Cogorque esse mea peregrinus & hospes in Vrbe?
Iam piget exilij. Veteres mihi redde penates.
Aut non te construxe mihi: de nomine tantum
Splendere insignes nostro: delubra putabo
Esse alijs dominanda. Loquar quod libera sentit
Atque agitat mẽs: nequaquã mihi grãde videtur
Esse opus, & dignum quod postera prędicet ętas,

Nauplio, si migrans hæc imperfecta relinquas,
Et grauibus non accedat manus vltima cœptis.
Annulus ex auro quãquam splendescat & ostro,
Et sint cælatis insignia dorsa figuris:
Non nitet ille tamen, sponsæue meretur amorem,
Si non illum adamas, aut fulua maritat iaspis.
Imo adeo quid honoris habet pulcherrima quãuis,
Et caput, & tergum nitidis illustre smarargdis
Ostentans mulier, si spiritus exulat absens,
Illuditque oculos radians in marmore vultus?
Sic Templum rear esse meum, nisi nostra recõdat
Ossa sinu: qualis vel degemmatus habetur
Annulus, aut qualis sine mente refulget imago.
Talia dicentem, responsaque corde morantem
Ambiguo Patrem, placido Deus aspicit ore;
Ac visus facilem dictis aduertere mentem.
Mox latere ex alio senior compares agrestis,
Impexos crines, longamque ad pectora barbam
Promittens. humiles lorum cingebat amictus:
Sed tanto lorum, tanto radiabat amictus
Fulgore, vt non igniuomos conferre pyropos,
Non ipsum posses, quo splendent cetera Solem.
Crura pedesque nitent pariter velamine nullo
Conspicua: & quãquã curuũ fert dextra ligonẽ,
Dextra preces molli distinguere sueta labore;
Non minus illa tamẽ, minus aut intermicat ille.
Hospitis optaui nomen patriamque doceri,
Quem non agnosse, aut vsquam vidisse videbar
Amplius. ergo aures ad singula verba bibaces

Admoueo,

Admoueo, si quis socia de plebe sodalem
Nomine compellet.Roseo tum Barsius ore,
Barsius Augustis clarus natalibus, ille
Purpureos inter Proceres cultissimus: ille,
Qui patrias Pastor pecudes curauerat:Euge
Benuenias o Benuenias carissime, dixit.
Non aliud:nostras quod tendere posset ad aures.
Cetera debilibus sunt eneruata susurris,
Et vetita in longum procedere. Sed tamen auceps
Callida non nihil excepi.Constantius illi,
Propter ab immani seruatum morte nepotem
Nescio qua grates referebat.Stulta putaui
Esse salutantis vocem,quam dixerat EVGE
Benuenias,o Benuenias.Quando inter & ipsos
Cælicolas mos est sic appellare vicissim,
Alter in alterius cum lumina,& ora feruntur.
Postea conieci, proprio sic nomine Ciuem
Esse appellatum Ciui,quod ab omine fausto
Ducitur,Augustaque freques est nomen in Vrbe.
Ille igitur posito rastrorum pondere,pronus
Et supplex,O Rex hominumque Deũque rogãtem
Me quoque perfer,ait,si non indigna rogabo,
Quæ tribuas donesque libẽs.Mihi templa sub ipsis
Mœnibus Augustæ veteres posuere coloni,
Qua prior aduersas oriens Sol aspicit arces,
Et pariter porta, pariter dat nomina colli:
Illam a Sole vocant,Lucis Mons dicitur iste.
Quin etiam laribus me amplis,atque vbere glæba
Dotauere pÿ,& sacrum de nomine nostro
Hunc

Hunc habuere diē, qui Maias anteit Idus. (uis
Hic ego nequaquā, Superi, queror (intima quā-
Vrat corda dolor) nostros quod sæpe penates,
Sæpe aliquis colit illustri de gente Sacerdos
Magnificus, diues, Princeps; aut veste Sacerdos
Dumtaxat, quantum nostris impune fruatur
Amplis redditibus, nostri securus honoris
Et Superū. nō hoc inquā, Superi, queror. Est hoc
Vulgatum tritumque nimis: siue esse querēdum
Ducitur hoc etiam; potius tua Petre querela,
Vel Benedicte tua est. vtroque tacente tacēdum
Impero & ipse mihi. Tantū peto, maxime Mūdi
Arbiter & Cæli, vt Templo sua sacra, suusque
Restituatur honos. leuis est impensa duorum,
Per quos ante aras carmen cæleste ministros
Intonet, & Domino solemnia sacra ferantur.
Tu tibi, quicūque es, reliquum vectigal habeto,
Inque vsus conferto tuos. mihi paucula merces
Ex censu ingenti satis est. siue omnia raptum
Prædo venis, Aedemque situ carieque peresam
Destituisse potes; tua nec corda effera mulcet
Vndiq; rima loquax, per quæ domus ora preca-
Auxiliū lapsura tuū: licet omnia sumas, (tur
Omnia consumas. Vnum rogo: parce sepulcris,
Et cineres mihi redde meos. Cum talia verax,
Heu nimiū verax quereretur; & æthere ab alto
Assensum minime ambiguū, fremitusq; secundos
Ferret Heremicola: Præses superaduenit alter,
Exterior cui palla nigrat: sed nigra decebat

Palla

Palla intus candentē Animā,niueoſque receſſus
Pectoris Auguſti.Canos cana infula crines
Velabat.lituo dextra ſplendebat eburno.
Hunc etiam didici Peruſinæ ſtirpis alumnum,
Stemmate conſpicuum priſco,qui templa ruinis
Iam dudum collapſa opulens extruxit eidem
Barionadæ,pietas cui conſecrarat auorum.
Et quamuis templum donis illuſtribus ante
Auxerat, aſsiduo iuſſum clareſcere cultu:
Attamen ipſe ſuos cineres ſuaque oſſa relinquēs,
Longe illuſtre magis dat habere nepotibus.Ergo
Tunc Pater,afflatu dum ſibilat aura ſecundo
Inter Cælicolas,Domini reſponſa morantes:
Me quoque fas, ait,Auguſtis de ciuibus vnum
Auguſto pariter Patri patrioque ſodali
Aduenıſſe vltro,propriāq;hanc ducere cauſam.
Indulges famulo veniam Regnator Olympi,
Meque iubes proferre palā,quæ pectus anhelās
Parturit,inceptis fors opportuna relatis.
Bis gemmis pingenda nouis terra æmula Cælo,
In culmum porrecta,ſuos expandet honores:
Bis pariter fugiens glacialis frigora brumæ,
Viſcera vitales reuocabit ad intima vires,
Pignoribus grauidanda nouis.Quo rite peracto
Tempore,ſe noſtras video conferre cohortes
Etruſcū ad Tiberim,qua cornua trudit in agrū
Frugifer Auguſtum;læuos et diuidit Vmbros.
Scilicet huc nobis indicta Comitia.Præſes
Et Dux agminibus toto late Orbe regendis,
Inter

Inter Præfectos Electoresque minores,
In castris Augusta tuis de more creandus.
Stat moles Gothicis olim prostrata ruinis,
Et senio consumpta, Vrbis prope mœnia. muros
Ipsi condidimus quondam, Cæloque dicata
Iussimus in faciem iuuenescere tecta priorem.
Hic socij nostris si non illustre sepulcrum
Ossibus & cineri, saltem non vile dederunt,
Et coluere annos plus condita septingentos.
Nunc mihi marmoreum gẽmis auroque coruscũ
Decreuere torum, & magnã transferre sub Arã,
Sed prius Augustã lõgo agmine ferre per Vrbem
Sacrorum manibus Procerum, plaudente Senatu,
Et populo acclamante. Licet veniatis vterque
Bẽuenias comes, & Pater Heraclides. Ego ciuem
Participabo libens aurati murice lecti,
Si placet hospitium: si non aduersa voluntas
Est tua, qui late mundum, mare, sidera torques,
Arbiter omnipotens. Hic poplite rursus vtroque
Procumbens, humilis diuina Oracula Petrus
Cum socijs expectabat. Tunc ore Redemptor
Illo, quo Cælum tempestatesque serenat,
Illo, quo Stygios Volucres Acheronta sub imum
Deijcit, inque specu terret Plutona profundo,
Incipit effari. quod non effabile nostris
Alloquijs. nec lingua potest humana loquentum
Verba referre Deum. Tenuissima numinis aura
Mentibus ætherijs repens illabitur, omnemque
Inspirans animo sensum celer imprimit alto.

Doctus

Doctus momento exequitur mandata Miniſter.
Aſt ego Cæleſtum Latio *ſermone retexens*
Conſilia,& mentem Superum,vix carmine lõgo,
Vix potero tantarum exordia pandere rerum.
Sic igitur Domini *facunda ſilentia toto*
Intonuere Polo, *menteſque aureſque beatas*
Nectareis condita fauis, pauere morantes.
ACCIPITE o Cæli *cariſsima pignora.dixit*,
Quæ referam,votis non aduerſantia veſtris
Arcana,& iam nunc ſpebus gaudete propinquis.
Tu meus Alcide(non eſt mora longa) triumphũ
Auguſta plaudente feres, propriamque ſub Aedẽ
*(Ne dubita)referere.*Domũ *qui ſtruxit,& auxit*
Comitolus,*grandeſque ſuas,grandeſque ſuorum*
Eſt largitus opes; idem ſua pignora templo,
Et *tibi te reddet. ſolita ſpectabere dudum*
Altus in excubia,muroſque tuebere praſẽs. (ſtro
Iam quod adhuc mirere magis,quod numine no-
Dignius eſt;priſcos repetes inuecte penates,
Et Laurente tamen non diſceſſurus ab alto es.
Te pariter Laurens *proprÿs ex aedibus Aedes,*
Benuenias ſic excipiet,proprioſque dicabit
Marmorea ſub mole toros,aurum inter & oſtrũ;
Vt veniens non diſcedas:hunc vnus, & illum
Ex ęquo tueare locum;nec Martyris hoſpes
Laurigeri factus, cunabula prima relinquas.
Imo adeo ſplendere nouo mirabere cultu
Templa tibi,votiſque tuis maiora venire
Officia ex alto.Celebrem vix ipſe triumphum
Duxeris

Duxeris octiduo nitidam condendus in Aram,
Custodem cum vita tuum nil tale timentem
Deseret, atque hora tecum condetur eadem.
Huic ego, qui templis proprios indicat honores
Et stata sacra ferat, veteri de gente Quiritum
Do successorem. Noui pia pectora, noui
Romanos animos. alij nos fallere possint,
Degeneres vilesque animæ; non clara propago,
Et nimium dilecta Polo Burghesia Virtus.
Illi autem quicunq; opibus pinguescere nostris
Intenti, curas abigunt cultumque Sacrorum;
Ac velut ignauæ pecudes per deuia callem
Multorum pedibus domitum, gressuq; frequente
Iam mollem factum, suadente lubidine pergũt,
Indociles frenare pedem: mea Numina iuro,
Non mihi perpetuas tantum sub Tartara pœnas
Nigra dabunt quõdã; vitæ sed munere nõ dum
Perfuncti, faxo exemplum mortalibus ingens,
Atque atrox pateant seclis illustre Nepotum.
Hospitijs non ergo tuis Benedicte, tuisue
Petre opus est laribus. gemmato solus in auro
Sub propria licet æde cubes. Simul ire per Vrbẽ,
Cõmunemque tribus repræsentare triumphum,
Hoc placet, et iubeo. Celeres tu nostra per auras
Fide Vigil mandata refer. Stat, longius æuum
Ducere Comitolum, nec præmia ferre laborum
Gentiles inter proauos, animasque suorum,
Quarum longa Polo series diffunditur: ante
Quam mea rite prius mãdata peregerit omnia.

Dic,

Dic, primum ſacros cineres, & ſancta meorum
Oſſa, Peruſinam rurſus geſtanda per Vrbem,
Auratis diſpoſta tholis, in ſede reponat
Quæque ſua. Nec dicta virum plebeia, nec ipſa
Poſſit ab incepto Styx deterrere, frequentes
Obiectura moras. Adero Deus. Inſuper vrge,
Quam nos iam dudũ ſpiramus ab æthere curã,
Vt mihi Turrena tẽplum ſtet in Vrbe ſecundũ,
Collegis augendum alijs, ternoque colendum
Ordine pſallentum. Qualis mea Regia Cæli
Nõ modo triplicibus reſonat permulſa Hierar-
Aligerũq; choris: ſed sũt in Claſſe ſecũda (chis,
Præcones alij, laudatoreſque minores,
Humana de ſtirpe ſati, Cœloque recepti.
Abramidæ primum Vates, duodena deinde
In terris mihi lecta Cohors: tenet vltimus õnes
Ordo pios, reuerenda Crucis vexilla ſecutos.
Nec vero cõdẽda homini noua tecta. paratũ eſt
Ante mihi templum, temploque decora ſupellex,
Betlemijs ſacrata Aedes infantibus. Aedi
Attribuat templum ille ſuum, quod diuite cãpo
Septenis alimenta poteſt conferre miniſtris.
Rem volet eſſe ratam (mox proponatur) honeſto
Sponte ſua indulgens operi Burgheſius Heros,
Burgheſius mea cura ſenex. & veſter Alumnus
Expediet conſulta, nepos Burgheſius. Adde,
Vt commune tribus fumans altare Patronis
In maiore domo, gratos Cœlo afflet odores.
Quis pudor Auguſti Proceres? reuerentia Diuũ

Dicite,

Dicite, quo rediјt? Laurens huic præsidet Aedi,
Præsidet. & Populo.qui sunt Laurentis honores?
Quas grati statuas Patri? quam ponitis Aram?
In Laurente ipso nulla est Laurentis imago.
Quo minus est mirum, si Præses abestis vterque
Zaccarides atque Heraclides. Meminisse iubeto
Amplius, Augustos si non illo auspice fastos
Docta manus condat, Patrum monumēta prio rū
Omnia letheis inter moritura sub vndis.
Quin & Academiæ, doctrinarumque bonarum
Fundamenta labant. cum iussero, fulciet idem
Nauplius, inque suum reuocabit tecta nitorem.
Nostra nec Ambitio semper consulta reuellet.
Talia dum cupidas Domini vox fertur ad aures;
Exultare viri, & laudes geminare Tonanti,
Comitolum in primis agmen, generosa propago;
Quam Comites a Colmedio, gens clara Tuderti,
Clarior Augustæ, pariunt & nomine donant.
Hi quamquam splendere suū super astra nepotē,
Et secum meritos longorum ferre laborum
Exoptant fructus, æterna luce fruentem:
Attamen augeri patrios lætantur honores,
Augeri pariter meritum famamque nepotis,
Candidaque in lōgum producere stamina Cloto.
Ante alias Francisca: licet succenseat illi;
Quod Claraüallensi Perusina antiqua sacrarit
Templa Viro, quæ Clara olim, sua Clara sodalis
Asisinas habuit, Cælo gratissima Virgo;
Atque ita sacrarit, propriasque dicarit eidem
Aedes

Aedes ante suas, vt Claræ mentio nulla
Iam foret, ac veteris vestigia nulla Patronæ.
Hoc si corrigeret, gratum fore spondet & ipsi
Bernardo: tantam nec spernere posse Sodalem.
Quæ verò hæc, inquit, pietas in tecta vocare
Cælestes aliena viros, & tecta colonis
Eripere antiquis? communia sunto duorum:
Et probo: vel teneas etiam Bernarde priores:
Et fero. Pennigerum pulcherrimus ille iacenti
Mox ad Comitolum cælestia dicta reportat.
Conualuit Pater.& referēs ad Numina grates,
Quam potis est immortales mortalis; agundo
Protinus accingens operi, post mille laborum
Disiectas moles, odio Plutonis, & ira
Vndique congestas: Augustam sancta per Vrbē
Ossa, triumphato iaculis cælestibus Oreo,
Insignis clamyde aurata, tectusque tiara,
Mox gestabit ouans, propriaque in sede reponet.
Cætera, quæ Cælum certo post tempore poscit,
Tempore post certo senior matura daturus.
Talibus Vranie mecum dum disserit, Ecce
Ad læuam raucos qua murmurat vnda susurros,
Et qua maiores platanus lata explicat vmbras,
Aetherijs impulsa flabris: adstare verendos
Hinc atq; hinc cerno Proceres. pars dextera ternos
Ostentat: bini splendent in parte sinistra
Frontibus aduersis. Ridet circumfluus aër,
Et late Ambrosios radians inspirat odores.
Considet in media soliorum sede duorum

Purpurea, insigni, & claris lucente smaragdis,
Grandæuus senior, promissa & candida barba
Non magis Heroem, quã nigrans ornat amictus.
Cum grauitate decor, cum maiestate serenum'est.
Tũc ego, Quæ superis, inquã, Dea viuis in astris,
Obsecro quis senior? nec enim nisi venit ab astris.
Tãtus in adspectu fulgor, tantũ instar in ipso est.
Hac ego sic paucis. At enim non pauca remittit
Vranie, Cœtum quæ causa coëgerit illum
Expedit, & Procerum cunctorũ nomina pandit.
Ille, inquit, media Satrapes in sede refulgens,
Cui tantus defertur honos, quem tanta decet lux;
Est Pater antiquo veniẽs Benedictus ab Vmbro,
Cuius vtrinque latus carissima pignora cingũt,
Romulidæ illustres iuuenes, quorum ille tumentẽ
Dum calcat fluuium, dorsoque perambulat, vltro
Excipiens fluuius, liquida sic eleuat vnda,
Vt metuat siccas aspergine tingere plantas.
Ille alter, quem pæne vorax exhauserat amnis,
Sed Patris imperio cedens, fidoque sodali
Reddidit incolumem, lætus cadit hostia Cælo,
Et Placidus pacem sæuis inuenit in armis.
Par alia quod parte sedet, pariterque refulget,
Non reor ignotum vultusque habitusque duorũ
Luminibus facit esse tuis. Ego suspicor, inquam,
Ex habitu candente intus, cui lata superne
Addita palla nigrat; gentis decus illud Iberæ,
A Domino qui nomen habet, sed nomine maius
Ingenium, & mentẽ. Tamen est mihi notior alter

A fune

A fune, a ſacco, a pedibus, palmiſque cruentis.
Sed quæ cauſa viros hodie compellit in vnum?
Cauſa, inquit, narrãda mihi eſt. Dũ protinus illi
De ſe, de Monachis, *de Relligione loquuntur.*
Quæ non fas arcana tuas irrepere ad aures,
Non inferre mihi. Veſtram Benedictus ad Vrbẽ
Cum ſocijs Mauro, *& Placido contendit, habendis*
Illic comitijs Procerum, ſummoque creando
Cœnobiarchæ, inter præſens de more futurus.
Franciſcus cauſa Cælo deſcendit eadem
Ad ſocios ſandalipharos, longoque cucullo.
Et propter cauſam conuenit Ibærus eandem
Albonigris dare iura ſuis. Venere volentes
Mil*itiæ capita alta ſacræ, Magnique* Magi*ſtri*
Hoc magis: vt quas Auguſtã geſtare per Vrbẽ,
Inque nouam properat cõferre Comitolus Aedẽ,
Relliquias San*ctorum adeant, corãque triumpho*
Adſpirent, faueant, & Martyris *oſſa recondant.*
Hic tantiſper erunt, donec ſtata venerit hora,
Donec ad inſtructas, & protinus ire paratas
Nuncius accierit, ſacras longo ordine pompas.
Tunc mihi quærendi mens incidit: O Dea, *ſed nos*
Dic vbi quæſo ſumus? quæ nam regione, locuſue
Nos habet? an tumidi collum calcamus Olympi?
Qui ſub ſe ventos, tempeſtateſque frementes
Deſpicit, & vix interdum iubet ima rigare
Pe*ctora, Phoebeus propior ſi torruit ignis?*
An ſunt Elyſij fontes, & amoena vireta
Fortunatorum nemorum, ſedeſque beatę,

B 2 *Quas*

Quas Maro telluris meliore in parte locabat,
Intra Lunam alij fraterna luce nitentem?
An potius, primi quod vix pressere Parentes,
Sidereis confine solum fulgoribus ardet?
Fare age, Si vestris potius versamur in hortis,
Castaliasque vndas, Ascræaque tecta videmus:
Si fors Alcinoi, si forsan Adonidis, aut si
Forsitan Hesperidum felicia rura tenemus.
Ad quod cum Diua cupidus responsa morarer;
Ecce inquit, rebus Proceres vtcumque suorum
Compositis, & decretis (vt libera cuique
Sit permissa tamen, Domino laxante, potestas,
Seu videatur, agant; seu non videatur, omittant,
Quicquid ab excelso Numen spiraret Olympo)
De vestris agitant hodierna luce per Vrbem
Sanctis Præsidibus longo agmine deducendis.
Hoc age sis. vacuas offer sermonibus aures.
Talibus Vraniæ dictis accensus in ipsos
Conuerto lumen Proceres, & sedulus adsto,
Dicta legens, rigido tãquam reddenda Magistro.
Iã Pater Asisinas multa, & multa hospes Iberus
De Domini pietate mei miranda locuti,
Quæ ne commemorem pudor illius impedit: vltro
Heroem Casinatem communiter orant,
Herculeo de Patre aliquid narrare coæuo,
Fors etiam socio: certe sua signa secuto,
Non dedignetur. Facilis rem suscipit Heros,
Mellifluosque tonans ex alto fundit iambos.
Dicta viri fratres cupida bibere aure videntur.
Interea

Interea plures mecum adsedisse per herbam
Egregios video Vates, quorum ora videbar
Agnosse, affari, venerari, & iungere dextram.
Illi etiam pendere Patris dicentis ab ore,
Ac secum calamos, secum gestare tabellas,
Et cantare pares, & scribere dicta parati.
Nos vtinam iubeas meminisse, o prima Sororum
Vranie, cui vota vni, cui sacra feremus,
Non post-hac ludis interpellanda profanis.

M.Ant.Bonciarii
TRIVMPHVS AVGVSTVS,
Siue de Translatione Sanctorum Perusiæ celebrata,

Per Reuerendissimum
D. NEAPOLIONEM COMITOLVM
EPISCOPVM.

Liber Secundus.

Bernardini Zibellini Collegæ
Argumentum.

Hortatu comitum, solio Benedictus ab alto
Herculis aduẽtũ primi,regimenq;fidẽque,
Postremo & celebrem contẽpta morte triũphũ
Latius exequitur.Dein Herculis acta secundi,
Romulidum claro veniens a sanguine Maurus,
Patre iubente,refert:Italas cur venerit oras,
Et cur Augustam:quanta pietate tot annos
Et sibi commissum Pastor curarit ouile,
Et Totila demum mandante,quieuerit.Inde
Nuncius Augustos inuitat obire triumphos.

TALIA

TALIA poscentem, facili mitissima vultu
Me Dea respiciens, non dedignata sinistram
Ipsa suam nostræ veniens adiungere dextræ,
Secum ferre gradum propius iubet. Inde nitentes
Per violas, vernasque rosas, vbi mollior artus
Inuitat requiesse torus frondentis achanti;
Vsque silens viridi mecum consedit in vmbrà.
Tum Pater, & nostros ridenti lumine vultus,
Et pariter vultus postquam respexit auentum
Discere nobiscum mores, atque inclyta gesta
Martyris Herculei: roseo sic incipit ore.

BEATA Cæli pignora, & Mentes, Deus
Quas legit ad prodenda posteris ducum
Egregia fortium facinora, qui suo
Mercantur olim sanguine remenso Polos:
Audite, calamis cognitum vestris parum,
(Vt negligens Annalium semper fuit
Augusta bellicosa) patrium decus,
Et grande Relligionis indicium piæ.
Vulgo putarunt pluribus iam seculis,
Vnum fuisse Præsulem Perusiæ,
Cui nomen Herculanus ab Syria foret:
Et non duos, cum tempus euincat duos,
Ratioque confiterier cogat duos.
Primus trecentis circiter post redditam
Mundo salutem, annis recursis floruit,
Venitque cum sodalibus Romam vndecim.

 Aposto-

Apostolorum visitare limina.
Octo Parens *genuerat eadem : ceteri*
Pariter *propinqui.Summus illos* Pontifex
Benigniter,& hilariter excepit domum.
Deinde sacris initiatos milites
Fortes, pios, & strenuos per Vmbriam,
Per *Tusciam , per alia* Principum *loca*
Dimittit *ampliare* Catholicam *Fidem,*
Verosque conseruare cultus Cælitum.
Prouinciam *sortitur Augustos lares*
Hic Herculanus , quem priorem diximus :
Et *in referta* Ciuitate *gentibus*
Idololatris sanctitate, moribus ;
Vitaque penitus integra : dein vocibus
Pariter *pijs , & fortibus ritum impium,*
Vanosque per delubra sustulit Deos.
Tum persuasit Numen æternum coli
Alacrius, feruentius, frequentius.
Antistes Vrbis interim defungitur,
Et occidens in ordinem nostrum migrat,
Ad hæc laborum sempiterna præmia
Capiunda. Votis Herculanus omnium
Antistes Vrbi redditur. Quid illius
Ieiunia, vigilias,& ardens exequar
Studium tuendi cælitus leges datas,
Et *pondus ingens sustinendi , quod* Deus,
Vt alleuaret impio pressos iugo
Populos Etruscos,*in humeris statuit suis?*
Non ille (quod plerique mortales solent)
Adeptus

Adeptus ingens munus, & largas opes,
Frenum relaxat impotens cupidini,
Vel pristino de more, vel vitæ modo
Quicquam remittit. Sedulus, *parcens, pius*
Et anxius pro gregibus ad Christum *sui,*
Parens *& altor ampliores, quam prius,*
Noctes, diesque pronus effundit preces,
Factisque populum pariter & verbis docet:
Factis melius, expressius, & vrgens magis.
Exempla nunc conferte veteribus noua.
Videmus, & dolemus incassum Patres,
Quonam reciderit præpotentum Numinum
Antiqua veneratio. Quis excipit gradus,
Et dignitates, auspice primum Deo?
Quis non rogat, non expetit, non cogitat
Auarus? aut spes improbas tacitus fouet?
Cum vero voti compotes abeunt sui,
Largosque sortis prosperæ latices bibunt;
O ebrij quas corde concipiunt faces;
Quantosque spiritus cient! Tumidi palam
Plerique magnas ore stultitias crepant
Stolide superbe. Neminem quidam suæ
Vel gratiæ, vel gloriæ reputant parem,
Se præferentes omnibus, nullum sibi.
Iam quod dolendũ remur, & miserũ magis
Putamus: hic nepotibus grandes opes
Nescio quibus (nec ipse scit pariter quibus)
Tenax reseruat abstinens, egens, miser.
At ille contra corporis nimium sui

Amator

Amator omnem luxui, libidini,
Ventrique fœdus helluo mentem iubet
Seruire seruis turpiter dominam suis.
Hinc stupra, cædes, bella, calamitas, lues,
Excidia, strages, vastitas, mala omnia,
Et vna superans omnia Impietas mala.
Contingit hic dolore dignandum nouo,
Quod pauperum plerique sanguinem vorant,
Dotes Deo sponsisque legatas suis;
Et pauperum quandoque sanguinem manus
Vel rapit auara, vel profundit impia,
Abusa ferro. Seculi *scelera queror*
Nefanda. queis conferre nunc possem pia
Non multa, sed miranda propterea magis,
Magisque decantanda, fortium virûm
Exempla. quorum nomen alto in Aethere
Legimus Sodales, *aureis scriptum notis.*
Iam si Clientes *memoro nostros, seculum*
Qui post relictum seculi mores colunt,
Et ore tantum pauperes, humiles, pij,
Factis superbi, nobiles, & diuites,
Et satrapæ contrariam nostris viam
Vestigijs, & regulis obambulant:
Nos ante, quam materia, destituat dies.
Ergo his omissis, pauca vobiscum loquar.
Dic obsecro Francisce cum relegis tuam,
Et tu Dominice *cum tuã, ego quoque cũ meam,*
Quam dedimus olim disciplinam, & regulam
Petentibus: non ne occupat faciem rubor,

Et

Et pectus indignatio, & animum dolor?
Si non madeſcunt lacrymis etiam genæ,
Si non perennis pectora fluuius rigat;
Iccirco ſit, quod ab oculis noſtris Pater
Omnem miſertus lacrymam abſterſit Deus.
Ad Herculanum redeo. Præſes *Vmbriam,*
Etruriam, *lateque Picentes agros,*
Vrbemque Romam nomine impleratſuo.
Quod nec benignior, nec innocentior,
Nec ſanctior quis per Italas gentes foret,
Aequaliter amans pauperum, et ſpretor ſui.
Quiritium Præfectus interea loci
Fabianus, imperante crudeliſſimo
Orbis tyranno, Peruſiam furens ruit,
Et *Herculanum fruſtra blanditijs prius,*
Deinde *verbis acribus, oculo truci,*
Rigidis minis; ad vltimum fuſte & face,
Torquens in equuleo, latera fodiens, feris
Nudum obiciens; & omne cruciatuũ genus
Perdens, Mineruæ *thura vt adoleat ſuæ,*
Suoque *Marti, machinis hominem omnibus*
Compellere ſtudet. Impauidus Heros truces
Inter Leones, inter & rabidas tygres,
Vrſoſque, ſola Numinum tectus fide
Stetit: ferarum nudus eludens famem,
Et ſpem tyranni. Facta quis confert Virũm
Veterumque, noſtrorũque? Concedant Duces
Quicumque adepti maius in bellis decus,
Graij, Latini, Barbari. Cede Hercules

Auus

Auus nepoti. M*ęnali pernix fera*
(Quod fabularum structor egregius canit)
Multo decôrum præferens auro caput,
Deprensa cursu: et maximus Nemeæ timor,
Olim lacertis pressus Herculeis leo:
Solitusque densis hispidus Erymanthi iugis
Arcadia quatere nemora Mænalius aper:
Et ille centum taurus vrbium metus,
Vnam metuere doctus Alcidæ manum,
Et pondus ingens roboris: monstra omnia
Denique coacta carcerem, aut mortem pati
Magno sub Orbis vindice Herculeo Duce:
Non sic sagittas, iacula, telaque omnia,
Quæcumque falli nescia librabat manus,
Horrere, formidare; sicut omnia
Genera ferarum, tygrides, tauri, leæ,
Viso Herculano, tremere, latebras quærere,
Demum fugere: nec scire, quo fugerent tamē.
Igitur inermi colla summittunt Viro,
Pedesque lambunt supplices, quas dentibus;
Vel cornibus, vel vnguibus, vel omnibus
Armauit his natura. Non hæc Herculi
Obsequia, non Dux Sāpson Abramidum tibi
Præstita fuere: nudi vt immanissimas
Placare, vel mulcere possetis feras.
Hæc Herculanum incepta Præsulem decēt,
Manentque solum. Præsuli abblandirier
Vltro putares bestias: iniuriæ,
Quam fecerant, vel facere tentarant Patri,
Pudere,

Pudere, pœnitere, veniam poſcere,
Humileſque comprecari, vt ignoſcat ſibi.
Quæ monſtra diu truculentior apris carnifex,
Et tygribus crudelior trepidans videt;
Amens retro contorſerat ſtupidum pedem,
Dubius necandi. Concio pariter ſtupet
Attonita: nec iam vellet inſontem mori.
Nefas putant occidere, cui parcunt feræ.
AN, inquiunt, ſæuire poſſumus in Virum,
Cæleſtibus ſic omnibus gratum Virum,
Homines nefandi? colla ſummittunt tygres,
Fidamque iungit dexteram ſocius leo:
Nos barbari, nos impij truces manus
Inferimus vltro? Nempe brutorum furor
Fugiens ab illis, pectus in noſtrum migrat,
Et altus, & dominans ſedet. vel intimis
Aggeſtus in præcordijs riguit calybs.
Exuimus hominem. beſtia, vel aliud ſumus
Malum nocentius. hominem induunt feræ,
Dominoſque iam ipſos fruſtra pietatẽ docẽt.
Quas inter & ſpectantium, & dolentium
Miſeras querelas, impudens Eques ruit,
Et candidum per pectus adigens cuſpidem,
Transfodit, & peremit, in terris quidem,
Ad Aſtra ſed præmiſit Herculeum decus.
Talia nectareo cum funderet ore ſacerdos
Vmbrigena, & noſtrum cæleſtia gaudia pectus
Implerent, non explerent: excepit Iberus,
Et pater Aſiſinas, & Concio tota rogarunt,

Protinus

Protinus Heroem pariter narrare sequentem
Pergeret. Huius enim, dicunt, Encænia primo
Sunt celebranda loco, quãquã fuit ipse secundus.
Atque hũc præcipue populus, tẽplũ, arca reposcũt.
Non aliter (si sacra licet conferre profanis)
Scipiadas cum Roma duos antiqua crearit,
Obsequio semper coluit maiore Minorem,
Ordine nascendi, sed non virtute minorem.
Sic fuit in nostris. Faciam, si poscitis, inquit
Vmbrius Antistes, *nec me labor iste grauabit.*
Imo mihi mens prima fuit narrare Nepotem,
Antiqui post nomen Aui, patriamque relatam,
Et genus Heraclidum, Patribus cõmune duobus.
Sed dum clara viri primordia tango, fretumque
Dũ legit extremũ; vecta est mea cimba per altũ,
Materia cursus non aspernante secundos,
Atque aura suadente virûm pia verba sequentũ.
Hæc quondã, in nostris dũ militat aduena castris
Herculeus, mecumque frequens versatur, ab ouo
Rettulit. a Patribus cognouerat ille: ratamque
Annales fecere fidem, faciuntque. Sed ipse
Cum videar vestras duxisse in longius aures,
Antiqua illa hodie minus opportuna rennarrans:
Quę nunc Alcidæ restant pia gesta secundi,
(Si libet, ac fas est) aliјs narranda relinquam.
Imo adeo cum tu ante alios comes atque sodalis
Maure homini quondã fueris; mecũque sub ijsdẽ
Tectis ille aliquot, cunctos tu vixeris annos:
Te potius memorare decet. Non immemor ille

Obsequij

Obſequij,generiſque ſui,Romana propago,
Nil renuens,nihil excuſans,ita protinus inſit.
SECVNDVS Herculanus et patria,et lare
Coniunctus,& cognatus alteri fuit,
Vterque priſco ab Hercule referens genus,
Vterque nomen,more productum nouo,
Ab Italis quem Graius acceptum tenet,
Adoptione in aliud emigrans genus.
Vt nempe ſic cognomen inflectat ſuum,
Vel nomen, vt flexiſſe cōſtat Flauium.
Cui Flauiano poſtea nomen fuit.
Sic Herculanos Hercules genuit duos.
Pij fuere vterque, ac geniti pijs:
Vtroſque non res alia, quam pietas domo
Romam euocauit; ac vtroſque Pontifex
Benigniter ſuſcepit,& miſit palam
Annunciare, prædicare, ſpargere
Oras per omnes Italas puram fidem,
Veroſque, germanoſque cultus Cælitum.
Vtroſque (quod miremini forſan magis)
Eccleſia Peruſina Præſules prius,
Et Martyres deinde conſecrat ſuos.
Id vero quando,quoue contigerit modo,
Ediſſerendum Præſes iniungis mihi.
Fauente quod iam Numine,libēs exequar.
Annos ducentos circiter video Patres
Inter duos fluxiſſe. nam moritur prior,
Cum tertium iam ſeculum,procederet,
Et Diocletianus Imperio tumens

Crudas

Crudas vbique Martyrum cædes daret.
At noster Vrbem cum Hercules Romã venit
Aetate sat vigente, quinctum seculum
Vincebat annus quartus & trigesimus:
Iustiniane terga cum premeret tua
Pondus labantis Imperi. Res sic habet.
VRBS est Syrorum, Cæsaris nomen ferens,
Turrim Stratonis antea populus Dei
Vocabat. illam Cæsari Herodes dicat.
Hanc inter & Laodicen pariter Syram,
Ab Libani radice non procul sitas,
Iuuenes trecenti congregantur, & simul
Ad vota persoluenda Romam confluunt.
Illos Ioannes Pontifex læto excipit
Et vultu & animo. Illũ hospites mẽtẽ suã,
Verasque suscepti itineris causas docent.
Vt pro tuendo Cælitum cultu pio,
Fideque propaganda, & animam singuli
(Si res ferat) profundere cupiant suam.
Quid multa? summus gratias illis Pater
Agit, monet, commendat, hortatur, iuuat:
Et mittit in quamcunque partem senserat
Irrepse stygium virus, & morbos graues;
Curare morti proximum iubens gregem.
Hos inter Herculanus illustrem locum
Et principem tenebat. Optio fuit
Homini data, vt quas vellet in partes pedem
Cõferret. Vrbs Augusta complacita est viro,
In qua tot annos antea sudauerat,

Et

Et ſanguinem profuderat Miles Dei,
Et generis, & cognominis columen ſui,
Prior Herculanus. Vtq; prodeſſet magis
Primum ſibi ipſe, poſtea populo Dei,
In Ordinem transgreſſus eſt noſtrum, Pater,
Eamque nobiſcum ſimul coluit domum,
Mandante quam te ſtruximus, Petro *ſacram*
Apoſtolo Peruſiæ. *Quid ego eloquar,*
Hic quanta ſanctitatis, innocentiæ,
Virtutis omnis dederit argumenta? ſit,
Sit hoc ſatis ſuperque, Complacuit tibi,
Et non ſemel laudatus eſt Pater *tibi*
Benedicte. Ciuitatis interim caput
Deſideratur, Paſtor *Auguſti gregis.*
Mox Herculanum vota pariter omnium
Expoſcere, obſecrare, legere denique
In Præſulem: & iubêre Romulidum Pater;
Vt Herculanum vota pariter omnium
Prius Priorem *orauerant, & legerant:*
Mox iuſſerat præeſſe Romulidum Pater.
Ergo hic ſecundus Hercules Eccleſiam
Prudenter, *& benigniter ſuam regens,*
Et Patris, *&* Paſtoris *officium gerens,*
Vt nempe ratio ſuâdet, & leges iubent,
Et Dominus imperat; monita vt etiam tua
Illum docuerant, atq; formarant Pater,
Quam noſter eſt ſodalis, & ſocius diu:
Late per vrbes Italas ab infero
Quacumque ſuperum tendit ad fretum Thetis,

Laudatur, atque honore tollitur nouo,
Titulis nouis Herculeus in Cælum Pater,
Nouus Perusiæ conditor, nouus Angelus
Populo tuendo missus ex alto Aethere.
Tempus sub illud Italia Totilas grauem
Plagam inferebat. oppidis plane omnibus
Vmbris, Sabinis, quæque Picentes colunt,
Et quæ Latini, clade vexatis noua.
In his quid est immane, vel atrox magis,
Quam quod per aures posteri grauiter minus,
Nos & per oculos hausimus quondam nefas
Dolentiusq; acerbiusque? Vrbem Vrbium,
Illam caput terrarum, & antea omnium
Regumque, Populorumque non leuem metum;
Illam (quod animum mordet, et cruciat magis)
Sedem sacrorum sacrilega euertit manu,
Turres, domos, delubra, Plateas, & fora
Omnia reuellens. Non lapis lapidem super
Stetit relictus. Barbarus Romam furor
Non dixerim peremit, & morti dedit:
Nam mortuum cadauer hic nullum fuit,
Nec mortuorum corpora gladius vorat.
Quid ergo? sic exorbuit Romam vorax
Charybdis, vt vix nomen extaret prius,
Romamque Romæ tristis hospes quæreret,
Et hoc misertus adderet flens, ROMA vbi es?
Qualis ruina cælitus quondam pluens,
Asphaltidem propter lacum, quinas dedit
Pessum sceleſtas, sordidasque turpium
Vrbes

Vrbes virorum.qualis aut peſſum daret,
Et funditus ſubuerteret moles Nini
Similis calamitas: niſi graues metuens minas
Cum Rege plebs,cum plebe mancipium fame,
Sacco, cinere, ſqualore pœnitens Deum
Placaret,imminenſq; vitaret malum.
Hac cum Tyrannus clade vaſtaret ferox
Et Vrbem,& Orbem;traxit indomitum furor
Ad arua,quæ purpureus irrigans beat,
Variaque ditans fruge perpetuo fouet
Tiberis alumnus.Turrium hinc moles videns,
Altiſque,fortibuſque cinctum mœnibus
Iani Oppidum, Peruſiam: Dignus locus
Per Herculem, ait:& digna,cui validã manũ
Iniicere Totilam non pudeat,Vrbs alta ſtas!
Tu poſt ſubactas inclytas,magis inclyta
Vrbes, & arces Italas, Peruſia,
Mihi domanda ſuperes. aut trepidans metu,
Aut inuidens in gloriam videar tuam,
Te ſi relinquo.Faſcibus volens caput
Victoribus ſummitte. Fortem dexteram
Fuge ſapiens: & ſponte ſub iugum veni,
Ne pertinax trahare.Sufficiat tibi,
Gothicis quod armis digna poſt Romam clues:
Quod Vrbe diſsipata,& Orbe funditus
Concuſſo, ad Arces tardus accedam tuas,
Domitor Italidum.Clara quõdam ad poſteros
Memorabere Auguſta,quod odia mereas mea;
Ignobilis futura, ſi retraham pedem.

Sed non retraxo, nominis cupiens tui,
Et nominis non doſerens Totilas mei.
Quas Barbarus Tyrannus intentans minas,
Ferox ad Vrbem celere contendit gradu,
Forteſq; ſubuertendo machinas parans,
Hortatur vltra ferre milites pedem,
Librare iacula, conſerere gladijs manum,
Et omnibus cum viribus ruere nouum
Truces in hoſtem: dum occupat animum ſtupor,
Stringereque trepidos arma non ſinit metus.
Haud perſequar vulgata verbis pluribus,
Et quæ ſuperſunt arma, comprendam breui
Pacis profeſſor. Obſidetur Ciuitas
Auguſta, nec datur vlla per Totilam quies
Vel ciuibus, vel exteris, qui mœnium
Cuſtodias corporibus exercent ſuis.
Tyrrhena iam per arua meſſorem labor
Laſſauerat ſeptenus; & toties gelu
Boreas riguerat, niuibus operiens ſolum:
Ex quo furere Mars cœperat: nec ſoluitur
Obſidio tamen. exercitus late obtinet,
Et ferro, & igne vaſtat Auguſtos agros.
Aditum retentant, machinas adhibent nouas,
Et validus, & creber aries murum quatit.
Fruſtra. Herculanus Præſulis, Patris, Ducis,
Officia miſcens, verbo, & exemplo ſuos
Monere, rem curare, conſilium dare:
Idem facere quicquid opus eſt facto prior.
Ad vltimum, nocentius gladijs malum,

Fœda

Fœda Oppidanos domat, & expugnat fames;
Totila iubente, ciuium iugulo frequens
Adactus enſis, ſanguine cruentat forum.
Et impias cupidaſque militum manus,
Dirumq; ferrum, nec puella nobilis,
Nec elegans matrona, nec grauior ſenex,
Nec arma præferens vir, aut lacrymas puer
Gemituſque, deuitare potuerunt ſatis.
Domos per omnes miles armatus furit:
Et feruidus dum ſanguinem gladius bibit,
Auidæ cruentas congerunt manus opes:
Offerre quas victoribus ciues ſuis
Coguntur ipſi. criminis magni loco
Eſt præda vel retenta, vel tarde data.
Cruore largo munus inficiunt ſuum.
Multis ſaluti celerior animus fuit
Ad exhibendum, & ſponte largiens manus.
Et gratia capientibus donum data
Habitaque. Multis contra perniciem attulit.
Tenax cupido. his vilius quam opes caput,
In cuius illæ commoda parantur, fuit.
Iam quas ſuperbus intuens prædas Gothus
Faſtidit humiles, atque non dignas ſua
Vel dextera, vel ſorte iam locuples putat:
Vulcanus illas auidus increpitans vorat.
Quid amplius? Quid quæritis dirum magis?
Quas obſecro non vicit ærumnas tuus
Auguſta fletus, ſors, calamitas? Efferus
Et crudus hoſtis; hoſtis Auguſta impius

Et nescius miserendi, acerbam, & horridam
Et luctuosam ciuium stragem intuens,
Tenere lacrymas pertinax nequijt tamen.
Vlisius, ille Vlisius insani Comes
Prætorque Regis, Regis edictum legens,
Antistitis crudele quod fatum indicat,
Atrociterque confici statim iubet;
An faceret, an non faceret ambiguus diu
Retorsit, & sustinuit hærentem manum,
Deliberans, & sese in incerto tenens.
Dedisset alij facinus explendum libens,
Ab innocenti sanguine suum continens
Et gladium, & animum. Suadet barsti ferox
Melidius, alter barbari Regis comes
Crudelior, truculentior, vt hostem feris
Donet superbum. Dentibus frendens Aper
Inuadat: arma Taurus expediat sua,
Nec vel Tygris vel Vrsa contineat sua,
Quas efferarit longior in escam fames.
Antistes istis poscitur tortoribus,
Et iure: tua si torpet ad cædem manus.
Vindicta non spernenda contingat feris
Aduersus hostem generis antiquum sui,
Hunc si trucident vindice Alcida fatum.
Vindicta par iniuriæ, spolium ferox
Hodie reportet victor Herculeum Leo.
Sic ille. sed redarguit concio virum,
Et edocet, quas Patruus quondam feras
Contempsit alter Hercules, Vrsos, Tygres,

Apros,

Apros, Leones,*omne monstrorum genus*;
Non esse quod nocere speraret Viro,
Quem sanguis idem rettulit, magno parem
Auunculo *Nepotem*.Age,*superbas feras,*
(Inclamat alter) expedi: Tauros truces,
Fœtas leænas, & fame domitas Tygres;
Ipsumque (si videtur) ab stygio trahas
Limine frementem rictibus ternis Canem.
Horrebis ipse primus, & latebras petens,
In te ruentes trepidus incurres feras.
Et frustra suspirabis auxilium miser
Ab hoste: discerpendus actutum feris,
Si non his ipse vindicet quem tu necas.
Talis Leones *inter*. *Isacidum genus,*
Iussu Tyranni trusus in caueam Puer,
Innoxius *seruatur. Auertit pedem*
Pius *sacratis abstinens dapibus* Leo.
In impiosque Regios Satellites
Supplicia rediere sua.Vlisius interim
Pudere,*quod pigrescat ad ferrum manus,*
Pudere pariter,& timere; sanguinem
Quod esset effusurus impius pium.
Vincente sed formidinem formidine
Grauissima minus grauem; Regis sui
Crudelitas persuasit, vt mentem efferam
Resumeret. Non posse pietatem simul
Regemque barbarum coli.Totilæ Comes
Impune sit scelestus, at non sit pius
Impune. Si pepercero *Præsul tibi,*

Non parcet irritatus, & animi impotens
Mihi *Tyrannus. Redimere cruorem cruor*
Iubebitur noster tuum. A *ceruicibus*
Retractus istis mucro confodiat meas.
Sic conquerens, facto impius, verbo pius,
Vir similis, & nolenti, & inuito; sacrum
Abtruncat *humero trepidus Herculeo caput.*
Talia mellifluo dum disserit ore, Quiritum
E*t genus, & splẽdor Maurus: video ecce per herbã*
Maturare gradum, Cæli *stellantis alumnum,*
Ac simul Augustæ ditionis, & Vrbis alumnum,
Qui nos ætherias dudum sublime per auras
Duxerat, & sacris Patribus dare iusserat aures.
Tum celer, O, *inquit*, Proceres *decora alta togatæ*
Militiæ, sacrum procedere concupit agmen;
E*t par est præire duces. Vix dixerat. Altum*
Buccina clangorem trepidas offundit ad aures:
Pulsa repulsa crepant geminatis ictibus æra,
E*t tonat in vacuum fragor aëra bombardarum.*
M*ox fugere excusso trepidans a pectore somnus.*
Nec mihi visa cohors exinde, nec Angelus vsquã.
Dumque nouus solito fulgens magis exoritur Sol,
E*t radijs vastum retegit felicibus* Orbem:
Me tenebris operit solemnibus excipiens nox.
Heu nimium nox longa mihi! Pulcherrima *Veris*
E*n facies alijs duodeuicena relucet,*
E*t toties vel adusta Ceres, vel mollis Iaccus,*
Opportuna *homini dederunt alimenta, beantes*
Hic meliore vdo, maturis frugibus illa:

E*x*

Ex quo non visus latuit mihi purpureus Sol,
Et latet. hæc utinam non sit vox vera, Latebit.
Tu potes Herculeo ducens a robore nomen,
Infaustam mactare luem, stygiosque sub amnes,
Trudere nigrantem materna in tartara Noctem.
Admiranda fidem nostris miracula dictis,
O Pater, adiungunt, facili quæ plurima Cælo,
Et votis nunquam non indulgente patrasti.
Tu sæpe interius clausas, aditumque vetantes
Quam libet obstreperis altisque fragoribus aures,
Oratus reseras, & peruia claustra, reuulsis
Protinus obicibus laxas. Tu vincula linguæ
Tartarea connexa manu, nodosque resoluis
In cantum, inque altas ad mitia Numina voces.
Si manus ægra dolet, pes est si segnis eundo;
Hic per te robur, per te capit illa salutem.
Quin etiam memini, solo quod lumina signo
Reddideris viuens, & lumina mortuus idem
Reddideris, humili dumtaxat voce vocatus.
Quid quod multiplici mēbrorum clade perempta
Horrēdum in morem mulier, non lumina tantū,
Sed sensus iam pæne omnes amiserat? illa
Non manibus quicquam proprijs molirier: illa
Non pedibus quoquam proprijs adducier: illa
Denique per se ipsam penitus nihil, omnia fidos
Per comites, per cognatos curare coacta;
Te reuerens, imo compellat pectore, solo
Pectore (nam voces inimica negabat Erinnys)
Integramq; refert, exoptatamque salutem.

Quod

Quod si mirandum prope par, prope rursus idipsũ
Edere Præsul amas; ad corpus respice nostrum :
Et non est eadem te defectura facultas.
Gerionem memorant non vna morte peremptum
Alcidæ sub tela tui, sed terna gerentem
Corpora, ter lethum sensisse. Fac optime Præsul,
Grandius Herculeo facinus. Mihi corpore in vno
Funera terna vides. nisi malis dicere sena,
Cum sit vtrumq; duplex. Oculos, palmasq; pedesq;
Vt quondam geminos Natura eduxit ad vsum,
Inuida sic geminos Fortuna retraxit ab vsu :
Fac inquam triplici, senaue resurgere vita.
Seu nimis hoc magnũ est, tantũ si pectora munus
Non capiunt (sed spero capi: non est mihi namque
Cor Pater angustum) luces accende. Videbis
Haud memorẽ gratũq; minus, quã si õnia reddas.
Imo oculos tantum si reddas, omnia reddas.
Est lumen tanti: sed non sunt cetera tanti :
Da Pater, vt sacro possit gaudere triumpho,
Qui nomen, laudesque tuas, & facta per Orbem
Diuidit, æternum mansuris credita fastis.
Non peto te quicquã indignum, insuetũq; rogari.
Scis Pater, hoc Reges etiam consuesse potentes,
Cum repetunt pictis regalia tecta quadrigis,
Post debellatos armis felicibus hostes,
Et clarum patria statuunt in sede tropheum;
Non solum vt faciles precibus, votisque clientum
Admoueant aures, & dent quæcunque rogantur;
Sed præcurrentes insignia dona per vrbem
In populo spargant. his vincula sponte relaxant,
Illos

Illos exilio reuocant. rus ceditur illi;
Huic domus, & domui non inconcinna supellex.
Magnanimos fert alter equos geminosq; iugales,
Ille alter nitidis incedere gaudet in armis.
Demum indonatum Princeps non præterit vllũ,
Cui mens, cui virtus, cui strenua dextera. Verum
Non ego te argentum, villas, & prædia posco,
Per quæ segnities, luxus, & fœda voluptas
Gignitur, in præceps animum tractura sequacẽ.
Lumina sola peto, sacris accomoda Musis,
Et studijs optata meis. extollere Diuûm
Heroumque iuuat facta immortalia cantu,
In primis tua sancte Pater. Quæ postera quondã
Hauriat, & prudens imitata recenseat ætas.
O ego quam video insignem, clarumq; triumphũ,
Antistes venerande, tuum voluentibus annis,
Perque omnes terras, perque omnia secla futurũ;
Me si suscipias ingens Patrone tuendum,
Prodigus officij, rediuiuaq; lumina dones.
Nam licet illustres (fateor) mea pectora dotes
Non habeant, non exornent: mea sunt mala, nomẽ
Quæ faciunt insigne meum; famamq; fileri
Non sinit hæc vasti populatio corporis; hoc iam
Vix homo, sed viuens hominis spirãsque cadauer.
Inde tuum non tantum Italas illustre per oras
Factum fama feret; volucri sed concita cursu,
Hesperijs pariter, pariter narrabit Eois.
Nec vero Alcides tantum nomenque, decusque
Ipse sibi peperit, quia sustulit igne chelydros.

M.Ant.Bonciarii
TRIVMPHVS AVGVSTVS,

Siue de Translatione Sanctorum Perusiæ celebrata,

Per Reuerendissimum
D. NEAPOLIONEM COMITOLVM EPISCOPVM.

Liber Tertius.

Bernardini Zibellini Collegæ Argumentum.

Millia multa hominũ Turreni fama Triũphi
Cõuocat Augustã. Pia Pluto incepta reuul- (sũ
Exit, & aërias hortatus ad arma cohortes,
Comparat infandamq; hiemẽ, tristesq; procellas,
In pompam ruitura sacram. Pèr mœnia Vates
Ductus ab Vrania, velo iam noctis abacto,
Pingit iter, pingit faciem, formamq; Triumphi,
Antiquos Proceres, inuentam cælitus Arcam,
Et plausum populi, totum demum agmen euntũ
Partitur, iactos referens ad sidera cantus.

FAMA

Aëra sub vacuum questus iactauit inanes,
Et multa in Superos, multa est infanda locutus
In cineres sacrosanctos, in te Vrbis Alumnum,
Et simul Altorem, Comitole: versus ad Orcū,
Prô pudor, exclamat, si nostra potentia Fratres
Icta cadens homini procumbere cogitur vni!
Atque potest vultus frontemq; subire minacē
Victoris prostrata sui! Comitolus, ille est
Comitolus, qui regna frequens inferna fatigat
Nūc prece, nūc voto, nunc auxiliaribus armis,
Moribus, & vita semper. Restabat, vt hostes
Aduersum Stygios insignia mortis in agmen
Cogeret, informi consumpta cadauera tabo,
Funereos cineres, atq; ossa extracta sepulcris,
Hac ego faxo (animū monitis aduerte paternis
Fida cohors) vt tela hostem regerantur in ipsū
Ductori funesta suo. Sunt aëre nobis
In medio fratres nimbique ignique potentes,
In qua se trepidum frigus regione coarctat,
Cōstipatque fugax; hinc flāmea spicula vitās,
Quæ leuis ex alta iaculatur Iuppiter æthra,
Hinc fugiens reduces terra euibrante fauillas.
Sole repercussas excalfactumque frequenti
Aëra cōflatu pecudumq; hominumque. Ferūtur
Illuc sponte sua, quos terra exhalat & vnda;
Cū madidæ suscepta coquūt alimenta, vapores
Omnigeni. Atq; hæc vna subest cōpressa creādis
Materies nimbo aërio, velocibus Euris,
Alpinis niuibus, vitreo rori, atque pruinæ,

Et

Et quascumque alias prægnans enititur aër
Semine quasque suo genitas in ventre figuras,
In primisq; atrox regnans in cetera fulmen.
Talia (si lubeat) socij, molimine nullo,
Tempore in exiguo nostri properare sub alto
Aethere, & ingenti Mundum *miscere tumultu*
Sæpe solent. Illo mecum scandatis oportet,
Tu Brontes, & tu Steropes.*dum cincta colubris*
Inter-uersari poterit Discordia *ciues,*
Imaque vipereo respergere corda veneno.
Vos Erebi *pestes reliquæ, furiosa Cupido*
Prodiga luxuries, intempestiua voluptas,
Et vos pone sequens humili circumdata panno,
Extenuans astu, quæ crescere callida mauult
Ambitio. Furtim monachos ambite modestos,
Neue horrete rudes, mollissima pectora, saccos.
Vaticinor nõ suaue minus, vel molle futurum
Hic vobis esse hospitium, quam sericus olim
Sepe fuit tyrio saturatus murice lectus.
Iam mihi Tisiphone grauidã cõcludat in vrnã,
Quę Phlegethon late suspiria perflat anhelãs,
Et quos nigrantem Cocitus in aëra rumpit
Humẽtes gemitus, & quas eructat ab alto (ras,
Aut inferna palus lacrymas, aut tartarus au-
Quodq; sub Aetneo clausũ stat carcere sulphur.
Hinc mihi mẽs, insanã hyemẽ, tristesq; procellas
Agglomerare alto, qua frigida Iuno vapores
Terra tuos, aut vnda tuos nunc cogit aquosam
Molles in nubem, nunc siccos soluit in ignem.

At

At mihi longe aliæ cogantur in aëra nubes:
Longe alÿ *fractis erumpãt nubibus ignes.*
Vix ea dicta dedit, nigrantes æthere nimbi
*Cum fubito rapuere diem.*Sub Dorida *raptim*
Præcipitare putes (nec dum media alta tenebãt)
Solis *equos, celeremque* Polo *fuccedere noctem.*
Rex Erebi *infultans,* O *quã mihi prouida, dixit,*
Augufta es! tenebras cum maturare videres,
Prudens ifta facum tibi millia multa parafti:
Ad lapidem impactura pedẽ, nifi creber adeffet
Angelus, atque fuis miferans portaret in vlnis.
At tu (ridenti fubmurmurat ore Michaël
Non vifus, nõ auditus)perge optime fabrũm,
Perge Acherõteis Phlegethõta includere nim-
Captiuumq; ignẽ glacies exafperet. Adde *(bis,*
Turbinis intorti radios, adde alitis Aufiri
Perniciem fœdafque lues. nec omitte trifaucem
Latratum, rabidoque halans ex ore venenum:
Demum omnes intende dolos, artefque nocendi.
Faxo equidẽ antiquũ Dux ignauifsime robur
Experiare tremens, iterũq; fub Infera præceps
Rũpere iter properes, nec fit tibi poffe moueri.
Talia quifque fui Dux *agminis infultabant,*
Pro pietate ardens dum nititur alter; & alter
Contra ftat, aërios animans in prælia fratres.
Tunc ego Laurentẽ *fupplex proftratus ad Arã,*
Quã fuper & fubter facra Martyris *offa iace-*
Herculei, dũ pergo preces orare priores, (bãt
DA Pater, Auguftum *faltẽ fpectare triũphũ,*

D *Da*

Da cineres artusque tuos: video ecce per auras
(Mira loquar, sed vera) Deã paulo ante profe-
Quę mihi Cęlestũ facilis dictarat honores, (ctã,
Et dederat cãtare Deum, prima inter alumnas
Musa Iouis, Numen mihi tẽpus in omne colẽdũ
Vranie. latumque animis afferre leuamen
Visa, Tuum dixit, peruenit ad æthera votum.
Herculeos poteris mecum spectare triumphos.
Surge age: da dextrã. (porrexerat illa sinistrã)
Et properemus ait. festinans cogitur agmen,
Omnibus ante Aram precibus de more litatis.
Nos aliquid præire iuuat. lustrabimus Vrbem
Ocyus, & (dictu res mira) videbimus ipsi
Omnia; nos nemo. Lux circumfusa repente
Dispulit obiectas nocte indignante tenebras,
Et visa est aperire diem. Sic semper amicos
Cum somnos obeo, & fessos circumrigat artus
Exoptata quies; lumen mihi splendet ab alto,
Et nusquam tenebræ, nusquam caligo. regressis
Absomnis repeto, vigilans quod perdo. colores
Quos mihi Sol adimit, nox intempesta reponit.
Tũ quasi solemnes fluerent per mẽbra sopores,
Mens vigilãs est vsa oculis. Ad Numina grates
Ingeminãs, Diuãq; meã noua carmina poscẽs,
Queis memorem testari animũ gratũq; liceret,
Præsulis Herculei merito maiore grauatum:
Vna incedo libens. O quam mihi contigit autem
Fors mirandalinquam. per mœnia lata vagãtẽ
Viderunt me sæpe alij: nullum ipse reuidi.

Contra

Contra ego nunc alios, nullo reuidente, videbo.
Egredimur, mediumque forũ metimur ad arcẽ
Recta Farnesiam. Mihi Virgo hæc inter eundũ
Visa loqui, spatium, seriem, faciemque locorum
Ore repræsentans; qua protinus ire pararent
Instructæ cantorum acies. Hac ibimus, inquit,
In partesque pedẽ flectemus ab Arce sinistras.
Hic latos aditus, & subruta mœnia cernes
Agminibus factura viam. via ducet ad Aedem,
Quã pius extra Vrbem Turrenus cõdidit olim,
Et magnæ Aligerũ Dominæ sacrauit. Ab Aede
Post iterũ ad læuã referet se se agmen in Vrbẽ,
Et recta ingrediens Caluaria claustra tenebit,
Condita tẽpla Petro, & monachis habitata vetu.
Inde reuertemur, qua semita lõga reducet (stis.
Ad sedem recta Herculeam, molesque superbas,
Comitolo super extructas, & grandibus auctas
Dudum opibus, sed dona opibus maiora petẽtes,
Herculis ossa sui. Cliuum superabimus illinc
Molliter assurgentem, alti post mænia templi,
Conuerso ad dextrã gressu, qua panditur ingẽs
Hospitium proli ambiguæ, certosque penates
Non agnoscenti: at numero maiore puellis.
Hinc fora succedunt escaria. vulgo Minorem
Appellant plateam, cedentem ætate sorori,
Cum sit re maior, Sanctorum more duorum.
Demũ ad Laurentem via nos Pinella remittet.
Hæc mihi dũ loquitur Dea; mirabũdus in omnẽ
Me partẽ vertens, atq; omnia circum-spectans,

Qua fero cumque oculos aulæis alta superbis
Tecta refulgebant, spatijs vtrinque viarum
Obducta, & longum propius visura triũphũ.
Ante alia splendere aditus, postesque domorũ
Doctius exculti, queis non concedere picto
Dixeris instratas longoque tapete fenestras.
Accedunt interstitio dispoſta frequenti,
Atque hinc, atq; illinc modico distãtia tractu,
Argento satura, & nitidis altaria gemmis
Cõspicua. æternos pars dextera fert amarãthos;
Fert vernas pars læua rosas. at Lilia florum
Flores in medio candent, has inter & illos:
Et pariter venerãtur ab his, venerãtur ab illis.
Quin etiam viuis animata coloribus ora
Heroum veterum pendens ex æde tabella
Exhibet, ingenuæ pulchra hortamenta iuuẽtæ.
Quid memorẽ cõstructa foro, cõstructa per õnẽ
Late vrbem, quacũque pium procederet agmẽ,
Saxa triumphales Cælo extollentia moles?
In quibus ingenium pariter sudasse fabrorũ
Atque poëtarum, dubio sub marte videntur.
Hæret in incerto si præferat illud an illud
Aduena, suspẽso dum lumine spectat vtrũque.
Tum pariter fabris, pariter iucunda poëtis
Augustam video stillare falerna per Vrbem
Fontibus ex altis. lætans exultat Iacchus,
Quod migrare sua de sede coëgerit vndas,
Inque suis veterem castris iugulauerit hostẽ.
Hanc inter faciemque Vrbis, gentemq; ꝑ omnes
Exun-

Exundantem aditus,cupidūq; ad singula lumē
Ex*tollentem;hilaris vestigia lenta trahebam,*
Vrania suadente nouos lustrare paratus,
Atque oculos explere; nigras concessa tenebras
Dū lux arceret,iā iam reddenda. Quid omnes
Erro per ambages,atque ornamenta viarum
Singula commemoro? totā lustrauimus Vrbē,
Alternisque viam distinximus, ore loquaci,
Argutis oculis. Altam demum Herculis Aedē,
Ingressi, pendere nouas hinc inde tabellas
Suspicimus,tanto circum fulgore micantes,
Vt viuam æquarent gēmarum incendia flāmā.
Eminet ante alios, & tecto splendet ab alto
Purpureus senior, cui candida vitta capillos
Cinxerat, & trabea tergum stellante coruscū,
Cum grauitate ori placidum miscebat amorē.
Mēs mihi dū dubitat cupiēs, & pene Magistrā
Dic *rogo: ludentes gentilia stemmata pisces*
Detexere suum Constanti pectore ciuem
Barsiaden. A dextra inter rabida ora ferarum
Integer, atque alto sustollens lumina Cælo,
L*umina(nā palmas in terga retorserat hostis)*
Herculeus Senior Cælestum nititur iram
A populis arcere suis. Huic sponte videres
Hircanas mansuesse tygres,& colla superbos
P*onere,lambentes exanguia membra leones.*
Si iubeat,si permittat, si non vetet Heros,
Dixeris aduersum redituros esse tyrannum;
Sic vertunt rabida ora truces,& lumine toruo

Romanis inhiant epulis. In parte sinistra
Herculis effigies atque admiranda secundi
Facta legebantur. gladio truncata furenti
Colla suos repetunt humeros, nec vulneris vllã
Dum coëunt liquere notã. Reuocatur in auras,
Atq; iterum vitæ charisque Parentibus infans
Redditur, ætherio cum Cynthius axe rotaret
Iam quater vndenam post fœda cadauera lucẽ.
Quid loquar omnigenas ęgro de corpore pestes
Protinus expulsas? tãtum pia dextra sepulcrũ
Tangeret, aut tantũ nomen pia lingua rogaret
Herculeum: videas morborum examina passim
Defluere, ac passim stygias horrere cohortes,
Mõstra cateruatim remigrare coacta sub Orcũ.
Quæ dũ multa oculis legerẽ, vultumq; habitũq;
Nostrorum Procerũ longo ordine contẽplarer,
Vsq; ab Apostolicis præsens deducta sub æuum
Secula temporibus, per quæ felicibus olim
Auspicijs plantata tuos Augusta per agros
Germinat inconcussa Fides: altare sub ipsum
Forte aciem voluens, operosi marmoris Arcam
Contuor insignem scalptis vtrinque figuris;
Qualia non pudeat cælamina, si sua forsan
Non sunt, iurare esse sua, & se scribere furto
Praxitelem. pars vtraque dextera læua leones
Præfert ore truces rabido. quorum ille ferocem
Insultans discerpit equum: damam ille pauẽtẽ
Vnguibus arreptam laniat. Cum fuste recuruo
Pastor adest, atq; vt mulctã nõ dãnat equestrẽ,
Sic

Sic dolet insontis crudelia funera damæ. (vnde
Tũc ego ad Vraniã: Quale hoc Dea *marmor &*
Aduectũ? nec enim nostris innascitur oris
Materies, *nostrosue fabros ea signa loquuntur.*
Illa refert: Pariũ *longinquo a littore marmor*
Nauibus Augustam *Totilas curauit ad Vrbem*
Inferri, Ducibus monumẽtum illustre futurũ,
Quos genere ac virtute pares septena peremit
Obsidio, Augustam lento dum Marte *fatigant.*
Signa notis expressa tribus tria tẽpora mõstrãt
Expugnatæ *Vrbis. primum quis mœnia casus*
Forte aperit, Gothicis *nũquam cessura lacertis.*
Dein Vrbẽ qua clade domãt, qua cæde cruẽtãt,
Quamq; futura fuit similis fortuna Quiritũ,
Si non in somnis Totilam terreret, aduncum
Intentans baculum sacri Pastoris *imago.*
De primo auditum tibi suspicor esse: frequenti
Iactatum vulgo est: cereali fruge capellam
Apprime saturam, fugitiui militis instar,
In Gothicas *venisse manus: hanc ventre refecto*
Eiurasse famem, multos frumenta per annos
Suppetere obsessis arcana fraude docentem.
Nec fuerat spes vana. Duces *tentoria campis*
Abducunt *Augusta tuis; & vasa propinquis*
In castris clamata, metum deponere ciues
Inuitant: migrare suis ab sedibus hostem
Immanem, ingentem: terris secura relictis
Otia iam longo demum post tempore reddi.
O quam sunt hominũ fallacia pectora, si quid

 Ebria

Ebria mens auide cupiat, speretque secundum.
Illa solēt falsa esse minus, quę aduersa timētur.
Quem minime decuit, sacri Pastoris alumnum
Et ciuem vestrum, properat nocturnus ad hostē,
Et reserans astus, abiecta resumere cogit (bē.
Arma viros, trepidāq; truces prorūpere in Vr-
Infelix! qui pulchra Patris mendacia præsens
Arguit, ingrate verax. simulando futurus
Iustior; iniustus, quia vera fatetur. At illi
Non impune fuit. captæ sub mœnibus Vrbis
Proditor ante alios vltricibus occubat armis,
Atque cruore suo reduces prior imbuit enses.
Iamque patet, Regem qua mens adduxerit alto
In tumulo renouare tuos Augusta labores,
Et fatum crudele Vrbis. Discerpta Leoni
Dama quid ostendat, docui. Manifestius illud
Est quod Equū rapiat pariter, cogatq; super-
Cedere magnanimo. Generosa Leonis imago (bū
Indignor quantū fuit vsurpata Tyranno,
Et quam nō iure ille Lupus meruisset et Vrsus,
Aut Aper, aut Tygris censeri, non Leo certe;
Turpiter innocuo miserorum sanguine gaudēs.
Nā quod Equū victor domuit, gentēq; superbā
Cōtudit, hac reputem nō posse refellere quēquā.
Nota nimis vulgo est Perusina superbia. nō est
Falsus in hoc Totilas. Verū quoq; pingitur il-
Quattuor vt decades postquā fluxere dierū (lud,
Vrbis ab excidio, miserescere cœperit Vrbi,
Præsulis Herculei media sub nocte minantis

Admonitu:

Admonitu:populis & ſic ignoſse reuerſis.
De ſcalptore ſatis.Turreno condita campo
Arca diu latuit, præſensq;refoſſa ſub auũ eſt.
Forte putant & caſu alij.ſed cognita nobis,
Cognita Comitolo cauſa eſt redeuntis in auras
Marmoris:vt tandẽ cineres atq; oſſa per agros
Impia proijciens,veſtrate ſub Aede ſepulcrum
Herculeo strueret præſens illuſtre Parenti.
Non aliter rerum ille potẽs, ille Arbiter Orbis
Inclytus,& ſæuorum ingens formido latronũ
Montaltus,pharia cum pondera molis ab alto
Inclinata caput,ſe tollere rurſus in altum
Cogeret,in plateã melius translata propinquã;
Cæſaris ingratos cineres, atque oſſa per auras
Ante dedit portare Notis,aut merſit in vndam
Tbybri tuã,venerãda Crucis vexilla reponẽs.
His dictis,templo egredimur cliuumq; remẽſi
Leniter Herculeum,ſacrã Laurentis ad Aedẽ
Improperata iterum veſtigia flectimus: illinc
Sæpius atque iſtinc ſpecie cultuque viarum
Iucundas faciente moras, greſſumque leuante.
Tum mihi cũ dubiã raperent ſpectacula mentẽ,
Et nunc iſta libens,nunc illa libentior ore
Atq;animo incõſtãs legerẽ:caua perſonat aures
Buccina,clangorẽ toto æthere clara refundens;
Et pauefacta ſonos excita reuerberat Echo.
Ilicet obſtrepero mens hæſerat icta tumultu;
Et quas forte auida ſpectabam luce tabellas,
Noſtrorum pia facta ducum,vultuſq;loquẽtes

Oblitus

Oblitus: Quæ tāta inquam vox impulit aures?
Quid strepitus, quid vult hominū cōcursus ouā
O Virgo, & celsa speculas ex æde replentū? (tū
Illa refert: Nunc illa foro se pandet aperto
In classes distincta suas, certosque maniplos
Ordine structa cohors. Audin' cōcordia qualis,
Et quantus vocum redeat concentus ad aures?
Hic mihi non tantum stridentia temperat æra,
Sed graue cū gracili docto moderamine miscēs,
Et par disparibus conflans ex pluribus vnum,
Haud aliter mulcet, quam cū Cælo alta sereno
Intersum choreis errantia sidera vestris,
Et varie stabiles cupida bibo mente rotatus.
Nāque ibi (si nescis) inquit, dū spicula Mauors,
Et galeas clypeosque strepēs quatit; aurea Phœ-
Plectra mouet, tantāq; nouē spirare sorores (bus
Imperat armoniam, sociūque adnectere carmē;
Vt celeri Phœben *iuuet orbe rotarier, & te*
Non pudeat prodisse palam, doctaque volucrē
Versare arte pedē, post Lemnia vincla, Dione.
Sic ait, & tumulo mecum consedit in alto,
Farnesias propter moles, vnde ordine longo
Aduersos legere & venientum discere vultus,
Formamque habitūque omnē possemus vterque.
Nūc age quale agmē Laurētia *castra relinquēs*
Primum Barionadæ summi Ducis aurea sedes
Excipiat, mox Herculeam dimittat ad Aulam;
Atque hinc Laurentes *iterū conscēdat ad arces,*
Expediam dictis, & te narranda docebo.
Ille

Ille (vides?) inſigne auro gemmiſque coruſcum
Qui præfert haſtile manu, galeamque micantē
Arduus oſtentat, nitidaſque ſub aëra criſtas
Erigit, (incluſum vitreis fulgoribus aurum,
Quod Crucis effigiem, veſtræ vexilla ſalutis
Admiranda refert:) eſt æthere Præſes *in alto,*
Militiæque caput. Merito *terreſtribus alis*
Dux præit, ætherias qui cogit ad arma cohortes.
Ab latere hinc atq; hinc iuuenes, illuſtris vterq;
Armiger *anteuenit. aurato dextera trunco*
Emicat incumbens, caſtrorum inſigne duobus,
Læua ſed alterius radios flammaſque vomētem
Extollit *clypeum, medius cui purpurat orbis*
Proſtratum referens agnū, cædemq; cruentam.
Conſpicuas dat ſtēma notas, AB origine mūdi.
Alterius fert læua pares ad pondera lances,
Vel ſurſum tractura, vel abiectura deorſum,
Principis aetherij ſolemnia ſigna. Sequuntur
Pone duo, quorum ille pedum petaſūque uiator,
Ille altum Syrio *geſtat de more tiaram.*
Præſulis hæc veſtri patriāque viāq; loquūtur.
Iam qui Cæruleam, Tyriam, *Niueāq; coronas*
Aligerum in medio violaſque roſaſq ue ferentū
Geſtat ouans; noſti virtutum quale ſacrarum
Exēplar referat, ſubiectaque grāmata dicunt.
Tres alij Cydarim, *lituū,* Gryphumq; *bimēbrē*
Qui tollunt auro inſignes, oſtroque decori,
Pennata vexilliferum ſtipante caterua
Nobilium puerorum, hymnos et ſacra canētum

Carmina

Carmina:solemnes monstrat Pastoris honores,
Et decus Augustũ.Manicas,tormenta, catenas
Auro effulgentes,& circumducto argento,
Martyris Herculei crudelia vincula menti
Restituunt : cæco dum carcere clausus, iniqui
Principis iratum gladium.sæuasque secures
Expectat ; non ille suum , sed fata suorum
Cõmiserãs.Hæc scala humeris gestata nouenis,
In sublime Animã quę tollere ad astra videtur
Herculeã ; totidem supra Orbes ponit Olympũ,
Quo Patrem penetrasse suũ pia turba triũphat.
Quod Leuita gerit fuluo spectabilis ostro,
Et tyriam indutus clamydẽ; quos inde,vel inde
Præferat Heroas Gryphonidos vrbis alumnos,
Aut Patres,aut Patronos intelligis.Apte
Ambrosius TALES , ait, ambio defensores.
Quid vero ista tibi longis sermonibus,inquit,
Cernenti referam ? nitida si luce careres,
Nec meliora tuæ radiarent lumina menti ,
Quam quos poscebas morituræ sortis ocellos :
Sedula conspicuis tibi pingere singula verbis
Haud equidẽ(quod feci alias faciãq;)grauarer
Tu nũc ipse vide,& calamo pingenda repone.
Mox ego,Recte inquã.grates tibi Diua perẽne
Ingentesque habeo,quod sic effinxeris omnem
Hãc animo pompã nostro,clarumque triũphũ,
Vt non inuideam vigilanti cernuus Argo.
Cetera nequaquam mihi Diua rogabere:si non
Inciderit,quem non possim dissoluere nodum

Ipse

Ipſe mihi. Pompamque placet ſpectare ſilenter.
Vix ea fatus eram. Tremulus ferit aëra clãgor,
Et pariter vocum, ac fidium diſcordia concors,
Angelico ſpirata choro, pueriſque canoris,
In prope cæleſtem mulcebat pectora morem.
Ordine ſuccedunt aliæ poſt ſigna cobortes
Angelica, & varijs concentibus aëra pulſant.
Harum quid memorẽ tunicas, vexilla, colores,
Et numerum ingentẽ certo ordine progrediẽtũ,
Lente incedentum, carmen cæleſte canentum
Alternis, & pingue manu funale gerẽtũ? (mis,
Agmina prima mouent popularia, veſtibus, ar-
Atq; choris diſtincta ſuis. hinc ſacra ſequũtur;
Quorũ non habitus, nõ vultus, non color vnus;
Vna ſed ẽſt pietas, vnũ cor, vna voluntas,
Os etiam cunctorum vnum, Cæleſte rogantum
Numen, & alternis ferientum vocibus auras.
Te primum, te voce vocant & corde Parentem
Aeternum, ingenitũ. Te Stirps *æquæua Parẽti,*
Dignata (heu) noſtras pendens a robore culpas
Morte abolere tua. Te Spiritus alme, duorum
Quem conſpirat amor, par Numẽ vtriq; duorũ
Immenſum, æternum, et vinclũ nexuſq; duorũ.
Te Cæli Dominã, Dominiq; *Deique* Parentem
Virgineam, intactã triplicato carmine poſcũt,
Vt magnum pietas moueat materna Tonãtem.
Vos quoq; tergeminos, Pubes alata, Hierarchas,
Agminibus ſuetos ſolium cæleſte nouenis
Cingere, purpureos Satrapas, *sãctæq; Tribunos*
Militiæ

Militiæ implorant, communia vota precantis
Vt populi ad magnum libeat perferre Tonantē,
Regali obsignanda manu. Cælestibus addunt
Patronis, te primum hominū, quotcūq; parētes
Adamidæ genuere, Deo testante. Simonē (bē
Te quoq; Barionaden clamāt, reliquosq; per Or
Legatos, Populis *Cælestia sacra docendis.*
Et vel purpureos, qui cædibus acribus emptos
Possessum venere Polos, vel candida quorum
Cingit vitta comas, operosæ pacis alumnos.
Purpureos inter comites, cætumque cruentum
Inclamant nostris repetita voce quaternis,
Te Costans, & te Laurens, *& germen vtrūque*
Priscorū Heraclidū. Splendent in classe secūda
Et pariter gemino populi clamore vocantur,
Petrus *ab illustri referens cognomen Agello,*
Et magis illustris, quia maluit vsque sileri
Bēuenias. Vos adijciūt, quos sāctior olim (stros,
Græcia, quosq; habuit Romana palæstra Magi
Qui calamo linguaq; viā strauistis Olympo.
Nec te prætereunt auide diuina bibentem
Eloquia; & quamquam longū iurgante sorore,
Defensam Domino, *& palma meliore potitam.*
Felix, ô nimium felix! digna hospite tanto,
Cuius tù quondam vultus non ausa verendos
Impuris fœdare oculis, abiecta retrorsum (tis.
Mille dabas lacrymās fragrātibus oscula plā-
Vos etiam castæ adijciunt pietatis alumnas,
Quas alijs thalamis, alia sibi iungere tæda

Numen

Numen amat: seu quas olim sub paupere tecto
Inter honoratas præstanti dote cohortes,
Militiam voluit Dux exercere silentem;
Seu quas ad Palmā rabies Romana cruentam
Elicuit: quas fortem animum, roburque virile,
Excelsum, inuictum longo agmine contestātes,
Certatim niuea pro virginitate, vel ipsa
Pro sponsi pietate sui sanctisque Hymenæis;
(Infandum) longa torserunt morte tyranni.
Atque hæc ore pio, fidibus nunc mulsa canoris,
Nūc grauibus pulsata tubis, moderamine certo
Conciliata tonant. Voces pia duplicat Echo,
Et ridens lætis resonat concentibus aër.

M. Ant.

M.Ant.Bonciarii
TRIVMPHVS AVGVSTVS,

Siue de Translatione Sanctorum Perusiæ celebrata,

Per Reuerendissimum
D. NEAPOLIONEM COMITOLVM EPISCOPVM.

Liber Quartus.

Bernardini Zibellini Collegæ

Argumentum.

CVnctantem iaculari atros ex aëre nimbos
Plutona, & fædam terris inducere pestem,
Incassum socij stimulant. vult ille per omnem
Latè Vrbem totus se fuderit ante Triumphus,
Obruat vt plenum flamnis vltricibus agmen.
Procedunt Pheretra alta duo, stipante caterua
Nobilium circa Procerum, plausuq; secundo.
Tum veritus Pluto est rapidum displodere fulmẽ,
Et male mulctatus, quæ nubila sparserat; hisce
Inuitus populo Solem defendit eunti.

HOC

HOC habitu, hac pompa, his precibus cum se agmen in omnem
Funderet Augustam, Laurentia castra relinquens;
Et tua Barionæde Caluaria Claustra, tuamque
Regalem peteret suspensis passibus Aulam:
Vmbrarum ille potens regnique tyrannus opaci,
Quē maror iamdudum ingens, atq; ira coquebat
In populos accensa pios, sacrumq; Parentem;
Fœdere cum venti nimbique potentibus icto
Fratribus aërijs, obducta nube nitentes
Arcuerat Phœbi radios, perque alta profundi
Arua Iouis, late semen pestemque luemque
Sparserat, a stygijs collecta venena ministris,
Heu scelus! in subitas mox eruptura procellas,
Vt Cæli facies tonitrusq; minantur. At imbrem
Sustinet horrificum Pluto; nec tela nec ignes
Vibrat in expostum denso agmine, et ordine lōgo
Vadentem populum. Visus fauisse Triumpho,
Dū trahit vsq; moras, vmbracula grata superne
Algidus intendens, nimbo prægnante coacta,
Atq; ignem prohibens radiantis ab æthere Phœbi,
Acrius excocturum artus atque ora patentis
Ad flammam turbæ. Sed enim nō ille triumphum
Aut fouet, aut vellet, aut nō est rumpere prōptus,
Quantum ignes animæq; valent. Sed callidus ante
Vult exisse palam Laurenti ab sede cohortes,
Atque forum, atque vias se diffudisse per omnes:
Fors quia non tangunt cælestes fulmina Lauros,

B Præ-

Praesertim Stygijs sudata Cyclopibus; & tu
Non vnum insidijs, laqueis, & fraudibus isdem
Exemptum Pluto velles. Ita callidus auceps
Per tuguri crebras iaciens vaga lumina rimas,
Cum videt imbelles ad pabula nota columbas
Affluere, ac sensim fallaci accedere campo
Nunc has, nunc illas, numerumq; augere sororũ:
Non prius arcanum producit rete sub auras
Captiuis inhians auibus, quam copia praedam
Impleat, & multo conferta sit area coetu.
Attamen interdum laqueos captator auaros
Dum struit, et volucrẽ, numeroso de grege nullã
Amisisse potest, numeroso de grege nullam
Intercepisse potest. chorus auolat omnis in auras,
Et praedatorum cupidis se se vnguibus aufert.
Non aliter totum laqueis elabitur agmen
Pluto tuis; totum quia sorbserat ante Cupido,
Et conata omnes comprendere, perdidit omnes.
Namq; vbi terrificae steterunt toto aethere nubes,
Et rabidas praegnante vtero strinxere fauillas,
Vsque gelu cogente hostes infraque supraque:
Auditum furiale rotans caua nubila murmur,
Vulcano egressum frustra tentante, coercet
Ignigenam Pluto, maturaq; tempora mandat
Expectare, agmen diũ se explicat omne per omnes
Effusum late plateas & strata viarum.
Angitur hinc atq; hinc gelidis compressa pruinis,
Conceptumq; alto sub pectore nititur ignem
Euomere vrgentem, circumq; angusta frementem
Atria

Atria, parturiens exacto tempore Nubes.
Ingenteſq; tonans ad te Lucina querelas,
Atque ad te Iuno, Steropem Brontemque referre
Incaſſum ſua vota iubet feſtina duabus.
Flammeus interea ſub pectore voluitur infans,
Et furit impatiens erumpere ſecus in auras
Vſque per infractam ſerpentum more Parentem;
Quando alia nullum pateat ſpiramen in auras.
Ecce iterum celſa conclamat ab arce Pyracmon,
Inclyte quid ſtygiam ceſſas immittere peſtem,
Et circumfuſas proſternere fulmine gentes
Rex Erebi? Iam ſparſa vias late agmina cõplent;
Concurruntq; ruuntq; alacres ad ſidera voces
Vſq; refundentes, Cælumq; ad vota trahentes.
Quid magis aut lætandum illis, aut corde dolendũ
Eſſe poteſt nobis; quam mitia Numina flecti
Ad lacrymas gemituſq; pios tota Vrbe vagantum;
Et nos inuidia miſeros disrumpier? Eia
Rumpe moras, iaculare Orbem, tonitruq; metuq;
Miſce omnes. vel tu iſta libens incepta roganti
Crede patranda mihi: tam ſæuo turbine terras
Concutiam, tantis circum-uoluam aëra flammis,
Et tantas tectorum, hominum pecudumq; ruinas
Adijciam, quantas ſi cernere poſſit ab Orco
Non dubie Totilas miſereſcat, & ora profuſis
Vſq; riget lacrymis, alias indocta moueri,
Aut ſentire nefas. Cum talibus ore Pyracmon
Frenderet, & fratrem fratres non vana locutum
Aërij collaudarent, paribuſque tyrannum

Orarent precibus: non est commota tyranni
Ferrea mens. Totum se denique fuderat agmen,
Siue tuum Francisce triplex, & terna sub aura
Signa ferens, seu vestra cohors Magne Afer, Ibere,
Carmelides, alij: siue alba in veste sacerdos
Plurimus, officijs, habitu, vultuque verendus,
Qui siue Vrbanas pecudes, seu pascit agrestes.
Denique iam duplex Laurentis ab Aede Feretrũ
Festinabat ouans foribus descendere ab altis
Petre tuum, & vestrum vobis commune duobus,
Heraclides & Benuenias. Argenteus illud
Ordo columnarum, binis vtrinque locatis,
Suffulcit. tecto species & forma curulis
Indita, conuexum gemmis auroque coruscum
Sic habet vt Cæli referant stellantis honores,
Tuque vel in terris Abbas potiaris Olympo.
Hoc vero antiquam Testamenti exprimit Arcam,
Aligeris hinc atq; illinc insigne duobus,
Ordine ab excelso lectis & classe suprema.
Hi pariter gemmis, auro, argentoque micantes
Cingebant vtrinque toros fulgentibus alis;
Et super impendens Eoa luce coruscum
Bracchia tendebant auratum argentea velum.
Angulo in extremo laterũ quibus ara quaternis
Constabat, Gryphes Perusina insignia plantam
Fulgentem argento, radiantibus vndique pennis
Auro intertexto, custodes Vrbis in altum
Tollere, & excubias læti exercere perennes.
Octoforis Feretrum gestatur vtrumque. priori
Supponunt

Supponūt humeros chlamydati ; & candida terga
Splendentes octo fratrum de gente nigrantum.
Octoni pariter Feretro subiere secundo ,
Purpureos induti habitus,& murice tergum
Fulgentes tyrio.Dextra læuaq; sequuntur
Insuper octoni, Feretrum qui propter vtrumque
Adstantes,oneri subeuntque abeuntque vicissim ,
Et sociosque leuant,socijsque leuantur ab isdem.
Cernere erat totidem per compita longa sodales ;
Ordine quemq; suo,totidem fulgentibus hastis,
Grande super Feretro suspendere tegmē vtroque.
Purpurat hoc,radijs fulget candentibus illud .
Quid loquar ante ipsos Cineres,lectosq; verendos
Sanctorum Procerum,*dextra læuaq; per omne*
Ampliter hac illac spatium,funalia flammis
Grandia conspicuis,incendere visa frequentem
Late *V rbem*,Solemq; *suum,sua sidera* Mundo
Reddere, cui Pluto *stygias offuderat vmbras?*
Inuidus haud dubie Pluto *tua lumina* Phoebe
Arcuit,& tenebris mersit nigrantibus Orbem,
Te frustra spargente diem, non dumque sorori
*Officium tradente tua.*Sed *honesta latendi*
Causa (reor) fuit ista tibi . nam luce serena
Non esses radijs ausus concurrere nostris .
Quin etiam Assyrio radiantes murice vestes ,
Et socio coniunctum auro, partemque sodali
Maiorem meliori vltro concedere promptum
Flexibile ac molle argentum ; quæ vellera Seres
Arborea neuere colo, quas Indica Bombyx

Texuit, aut varia distinxit imagine telas:
Praeterea pingues Panchao germine fruges,
Et quae diues Arabs, aut mittit dona Sabaeus:
Denique purpureo quicquid sub gurgite Ganges,
Aut Tagus, aut Pactôlus alunt pretiosius: omne
Gemmarum iubar ardentum, miscere tot ignes,
Et tantas altum vibrare sub aëra flammas;
Vt trepidans nox effugeret, lucemque diemque
Hostes ipsa suos sineret regnare. pudebat
Furti deprensam: propero quod caeca recursu
Ante sibi Solem discedere iusserat alto
Aethere, quam cursus radians implesset, equisue
Lenta fatigatis properaret pabula Tethys.
Splendidus ante alios pretiosa in veste Sacerdos
Neapolio, ille Augusta tuus Gnatusq; Paterque,
Quē breue, quē vere sic prędico: Dignus auorū est,
Siue antiqua Viri, generosaq; stemmata; siue
Hos magis inspicias, quorum successit honori,
Barsiadas atque Heraclidas. candentia primum
Byssina, quae possent & auitos vincere flores,
Artubus induerat, lateq; fluentia circum
Molliter adducto stringebat ad vltima nodo
Pectora purpureo. pariter cadentia colla
Purpureus cingens, partes pendebat in ambas
Ter reuerenda Crucis referens Insignia limbus.
Concolor huic radiat, gemmaque ardente coruscū
Vincit palla iubar, nitidis cum purus ab vndis
Cynthius emergens tectorum culmen inaurat.
Atque illam sacros humeros, atq; ampliter omnes

Com-

Complectentem artus, ab summo pectore flammas
Longius eiaculans, Eoa coercet iaspis.
Par capitis, par frontis honos. radiabat ab alto
Infula, cui bifidus surgebat in aëra vertex,
Sidonio splendens ostro. pendebat vtrinque
Tænia, quâ circum stringebat vitta tiaram.
Cingebant latera alta duo, quorum intima candet
Ad talos demissa, rubet chlamys extima. Pergunt
Pone duo: fert hic lituum, fert ille tiaram.
Quinque sequebantur, Cydarimq; togãq; gerentes
Purpuream sacri Proceres; terni ordine primo
Succedunt, mediusq; senex Isernias, illinc
A Ciuiplebano, Nucerino cingitur istinc.
Ire pares post terga duo: Septempeda *primum*
Vrbs dederat nobis; dederat Clusina secundum.
Accedunt *Benedicte tua de gente sodales,*
Infula quos candens, & concolor ornat amictus,
Quinquaginta Patres*. discriminat ordine longo*
Ala viros vtrinq; duplex. nitet ignea lampas
Per famulos hinc atq; illinc gestata frequentes.
Par ab Oliueto Procerum conuenerat; atq; hunc
Plane habitum, & morem, & ritũ seruabat eũdẽ.
Denique constructas acies agmenque secundo
Ingressum plausu Prætor Turrenus, honesta
Stipatus comitum, deducentumque corona,
Illustres flammas, & cerea dona ferentum,
Clauserat. excipiens tyrijs fulgebat in armis
Antiquum solemne ferens insigne Decemuir,
Et Collegarum series clarissima fratrum,

Nobilitas Turrena, choris adscripta iuuentus,
Longæuiq; senes. Mox turba incondita vulgus,
Matronæq; piæ, pueri, innuptæque puellæ.
Omnibus in dextris, omni sub pectore flãma est.
Ac velut in tenues dissoluitur altera ceras,
Guttatim vsque fluens: ita liquitur altera dulces
In lacrymas, fornacem animi testata flagrantẽ.
Plurimus offundit se ciuibus aduena nostris,
Et late populo feruens Augusta frequenti,
Rem non dissimilem facit exundantis aheni,
Cui costas ardens foueat Vulcanus, & vdo
Longius expulso turgescere cogat; & vndam
Vsque resultantem, & conuicia longa frementem
Imperet extrudi. Spatium iam desit eunti,
Desit & instanti. latas conferta fenestras
Angustat mulier. Vici, fora, compita, campus
Deserit aggestos cuneos, hominumq; maniplos
Vsque redundantum. Cedit crescentibus aër,
Et patitur per inane nouas suspendier ædes,
Tecta laboranti non aspernanda cateruæ.
Iam tota in totam se turba profuderat Vrbem,
Et medio spectanda foro sacra ossa patebant,
Vndique mellifluis concentibus aëre circum
Resperso; Aonias cum Iuppiter ebrius auras
Largiter hauriret, sociumque ad sidera murmur
Et vocum & fidium se tolleret. Ima repente
Pectora cunctorum (dictu mirabile) tantus
Cum pietate horror, cũ horrore admista voluptas
Concutit; vt partim in tenues præcordia flammas
Ire

Ire putes, partim tepidum liqueſcere in amnem:
Tot lacrymarum imbres, tot flamina corde cientur.
Callidus interea, Totilaque immanior hoſtis
Nomen in Auguſtum peſtes effundere ab alto
Feſtinat ſtygias, totumque voracibus agmen
Ignibus abſorbere animo confidit inani.
Nam ſimul in terras oculum detorſit Etruſcas,
Et noſtro ſplendere foro tria Sidera ſenſit,
Cum tanto & circum & ſupra lateque per omne
Aëra Cœleſtum Volucrum fulgore; retorſit
Attonitos amens oculos, tantuſque pererrans
Oſsibus incubuit, membriſq; trementibus horror;
Vt neque cur ſtygijs illo adſcendiſſet ab oris,
Nec ſibi quid vellent molimina tanta laborum,
Quid furiæ ſecum, Siculiſque aduecta caminis
Materies, quid fulmen atrox, quid ſulphur, & Au-
Aëriæq; minæ, ſtupidus meminiſſet. Oborta (ſter
Non minor eſt illi trepidatio, quam ſolet ille
Per noctem pauidis terrorem afferre puellis.
Aſt vbi mens redijt tandem, pulſuſque parumper
Corde metus; ſubito & trepidos horrore ſodales
Excitat, & dictis animans audacibus, Eia
Nunc tempus: properate, inquit, fortiſsima noſtra
Robora militiæ. nunc vlciſcendus Auernus:
Nunc acres ſubigẽdi hoſtes: nunc Regis in Aula,
Nunc ſtatuẽdum offert clarum Bellona trophæũ.
Eſt præda in manibus. per compita lata frequẽtũ
Millia multa hominum diſcurrere cernitis. õnes
Deſeruere domos; templis ex omnibus vn a—

Egreſsi

Egreßi stipare forum, complere viarum
Strata locosq; õnes, patulas pars magna fenestras
Occupat, & tectis pars ardua sedit in altis;
Mox propior nostris acies casura sub armis.
Ergo alacres conferte manus. cane classica Brõtes,
Et pauidas exterre acies. tum flamma sequatur,
Et fulmen pestesq; omnes. Mihi concidat ille,
Ille mihi ante alios, fuluo qui splendidus ostro,
Nil trepidans alte incedit, mea tela superbis
Eludens oculis, nimium confisus Olympo.
Sic ait, & tonitru post quam Cælũ omne corusco
Percrepuit; primum displodere nubila fulmen
Imperat (ah Superi facinus probibete) verendum
In caput Augustum, & nostrum patriaq; Parẽtẽ
Comitolum. Rutilare Polo suspeximus ignem;
Et mox horrendum cælo strepitante fragorem
Hausimus. At (dictu res admiranda) retorsit
Flamma vibrata pedem, cælosq; erumpit in altos.
Mirari natura parens, quos frigidus aër
Strinxerat, inclusosq; cauis ex nubibus ignes
Sulphureos, viscoq; graues torqueret ab alto
In terras; resilire truces, & fœdere rupto,
Tendere sublimes ad castra inimica, superq;
Scandere sidereos auraï simplicis Orbes.
Hic ego, Quando inquam, Dea dignũ vindice no-
Occurrisse vides; age longa silentia rumpe (dum
Ocyus, atque libens causas euolue latentes.
Illa iterum sic orsa loqui. Cum Pluto trisulcum,
Semine conceptum Stygio, displodere fulmen

In

In subiectum agmen celsa properaret ab aethra;
Ecce tibi res contra cadit. Quia flamma sub auras
Tartarea contorta manu, petitura Parentem
In primis vestrum, vestigia lenta sub ipso
Carpentem Feretro; stetit. & pauefacta retrorsũ
Auertit furiale malum, contraque parentis
Sancitas leges, erumpere fulmen in altum
Compulit, attonito sparsurum incendia Cælo.
Sed quæ causa grauem retro-uexit in aëra flãmã?
Cui tantum robur, tanta est permissa potestas?
Hoc, tu suspensa tacitus quod mente requiris,
Tã breue, quã facile est. Numẽ iubet ista supremũ:
Et natura ratum quicquid iubeatur ab alto,
Semper habet, Dominum reuerẽs ancilla Tonãtẽ.
Ergo Deus, Deus ardentem reiecit in altum,
Quamuis impuram, stygioque vapore grauatam
Fulmineam flammã, ipso Vrbis custode ministro
Et Duce pennigerum Michaële: Refulsit ab Ortu
Aureus, & Phœbo fulgentior Angelus ipso;
Cum contra obscuram stiparet in aëre noctem
Vmbrarũ ille parens, & Cælo inferret Auernũ;
Nescius insipiens, cui moliretur; & in quem
Illa essent reditura vsum quæsita nocendo
Tormenta. Ergo instantẽ operi, stygiosq; ministros
Vrgentem supera cum vidit ab arce Michael;
Risit, & O, dixit, non vnum Augusta triumphum,
Sed duo spectabis, Feretro per compita ducto,
Infractum pariter debellatura Tyrannum es.
Mox erumpentem cælo, iam iamque cadentem,

Agminibusq;

Agminibusque pijs crudelia fata minantem
Impulit accensam remigrare sub aëra flammã,
Tortores torquere suos. Adiunge quod illa,
Illa, inquam, contorta manu Plutonis in Vrbem
Ignea fax timuit sacrum se se ante Feretrum
Sistere. Nam meminit quoties Heraclius Heros
Se quondam oppressit, viresque animumq; nocẽdi
Fregit, & in subitos iussit vanescere fumos.
Vindice ab antiquo refugit moritura; vel ipso
Nũc procul adspectu tremebũda cohorruit; inter
Nubila, & hostili quærens in sede latebras.
Credo etiam, non ausa nefas patrare cruentum
In Superos, memor vnde sibi natalis origo,
Et cuia splendescat ope. scelus esse nefandum,
Sacrilegum, ingratum, nullaque piabile poena,
Quod facere optauit, quod pertentare coacta est,
Quod prope commisit. Stimulis ergo icta cruētis,
Et furia vltrici vires augente, per altum
Impete tam vasto redijt, quam forsan ab alto
Non rueret præceps. Furor omnis & ira superbos
Vertit in auctores. Veluti cum fistula plumbo
Aerea flãmiuomo prægnat, quod sulphur et ignis
Cum crepitu horrifico displodere tendit in hostẽ:
Si fors materies iusto amplior occupet aluum,
Vltrici congesta manu, nec semet in arcto
Iam capiat Vulcanus; atrox per claustra parentis
Diffracta erumpens furit, & quam debuit hosti
Perniciem, ipse suis amplo cum fœnore soluit.
Non aliter contra inuictos armata Quirites

Indica

Indica mōstra, humeris gestātia grandibus vrbes,
Quæ ruerent sparsura neces; si spicula vultum
Atq; oculos foderent, cæco confusa dolore,
Festinata dabant vestigia retro, suamque
Rumpentes aciem grauius certamen alumnos
Contra ipsos Regemque suum certare solebant.
Romani exultare, ferox quod Barbarus armis
Ipse suis caderet, facilem sine vulnere palmam
Concedens vltro. Sic ignea lampas in altum
Resiliens quantam stragem, cladem, atq; ruinā
Sparserit; hoc tu oculis videas volo. cetera tantum
Auribus accipiens dubia plebs mente reuoluet.
Aspice qua nigrans inter-scindente fauilla
Voluitur, & tremulo spatiatur in aëre fumus
Amplior. Hic stygiam cladem metire videndo.
Nec mora: tartareos altum per inane gygantes
Aspicio, tætris immania monstra figuris,
Hac illac ruere horrendum miscentia murmur,
Immensamq; altis implentia questibus Aethram.
Confractum ille caput, truncos dolet ille lacertos;
Hic femora, hic humeros flāma vlciscente crema-
Alter ab effossa tædis flagrantibus aluo (tur.
Intestina vomit: lucem quia perdidit alter,
Vulcano extinguente; tamen lucem vsq; fatigat,
Et docet extinctam proprium lugere cadauer.
Denique momento (Michaël iubet) omnis in Orcū
Turba ruunt. Solum video Plutona relictum
Informem, lacerum, trepidum, frustra ire volentē
Post socios comitesq; suos. Appello Magistram
Rursus

Rursus: & O, dixi, qualem Plutonia morem
Obtinet Aula! Ducẽ famuli dominũq; relinquũt.
Nullus ad obsequium mansit regale satelles.
Musa iterũ, Quod Numen, ait, per prona cohortes
Deijcit, & baratrum descendere cogit ad imum
Inuitas; inuitum etiam multumque frementem
Sistit, & ex alto prohibet discedere Regem,
Illudens vltro. Non semper, dixit, in Orcum
Quod te præcipitem dederim, pessumq; rotarim
Pluto dolere potes. nunc arduus æthera calcas,
Me præbente locum; Perusinos vnde triumphos
Intueare manens. Causam tu disce manendi.
Anxia iam dudum Pastorem cura coquebat
Augustum, spatijs quod circumscriptus iniquis,
Non poterat per inane amplis vmbracula velis
Tendere, ad arcendos radiantis Apollinis ignes,
Quacumq; immẽsum gradiens procederet agmen.
Hoc etenim rebus non respondere paratis,
Hoc solum poterat vos defecisse videri:
Cetera cum possint magnæ vix cedere Romæ.
Sed quæ tanta vnquã, tam multáq; millia possent
Velorum, spatijs tam grandibus esse tegendis?
Vix pane humanis opibus, vel (dicere fas sit)
Non Augusta tuis fieri potuisse putarim,
Quæ tibi sunt hodie Stygium properata per hostem
Commoda. Pastorem sic consolatus ab alto est
Angelus: Hæc, inquit, penitus mea cura parauit
Non solum rabidas tectura vmbracula flammas,
Non solum vernos iterum factura tepores;

Sed

Sed(quod mirandum magis est)Vmbelliferum do
Egregium,noctis patrem,vmbrarumq;potentem.
Sic ait,& fugere ex alto Plutona *parantem*
Cum socijs,secumq;nigras abducere nubes
Conantem,vt medio Sol *feruidus axe refulgens*
Vreret implicitum longis ambagibus agmen;
Stare iubet;cælumq; atris quod nubibus ante
Strauerat, hinc populo tentoria grata frequenti
Duceret,& dextra quamquam trepidãte teneret.
Sic quibus ille hostem prosternere venerat armis,
Subleuat;& quibus inflammare,refrigerat. Inde
Turbidus, impatiens, cæcaq; ferocior ira,
Se miser incusans ipsum,sua damna,suumq;
Dedecus ipse sibi tribuens;vmbracula dignum
Mancipium(non vile tamen,si pondus honestum
Pendatur,sed grande nimis,cum seruiat ipsi
Seruitium domino)præferre iubetur,& vsque
Preferet ad noctem. Dum talia disserit, ore
Irradians hilari sensusq; allabitur imos
Vrania, insolitaq;animum dulcedine pascit:
Dum pariter vacuas liquidis concentibus aures
Exbibeo,pariter cupidas per singula luces
Conijcio,& gentes, habitus, faciemq; locorum
Admirans,memori studeo committere menti,
Post calamo reddenda meo: iam se agmen ad ædẽ
Caluariam,templumq;tuum sate Simon Iona,
Contulerat. Procerum manibus gestatur ab alto
Limine ad ornatam,gemmisque auroque micantẽ
Petri aram,Petri candens de more Feretrum.

Atque

Atq; ibi post vocum moderamina mille, canorum
Queis concordat ebur, totum mulcentia cælum:
Vnde putes (nec vana fides) prægnantia flammis
Nubila compressisse vterum, nec fulmen in auras
Obstrepero parere ausa polo: cum Iupiter ambas
Ebrius insolita dulcedine pasceret aures,
Vsque silens. Igitur sacris de more litatis,
Atque Abbate sua reuerenter in æde locato;
Herculeum ad Templum recta se contulit agmen,
Cum pompa rediens, atque ordine semper eodem,
Nusquam turbatum: tot millibus ante virorum
Et post & circum dextra læuaque sequentum.
Vestibulum ante ipsum, primoq; in limine tēpli,
Tunc etiam sacro Proceres subiere Feretro,
Conspicuosque sua Cineres in sede reponunt
Aurata: Eois altum laqueare fauillis
Eiaculante, domum mox diffundente per omnem.
Non secus exiliens tremula vibratus ab vnda
Splendor Phœbe tuus, celsum ferit ante lacunar,
Inde repercussus reliquam se se omnis in Aedem
Diuidit, & confusa rotans incendia miscet.
Hic ego multorum tepido turgentia fletu
Lumina, & in Cælum suspiria tracta profundo
Pectore; tum longos gemitus; & amara notaui
Verba memor crebris singultibus interrupta.
Nā quasi vis lacrymas erumpere maior in auras
Non sineret, suauemque animo subduceret escam;
Accusare pij non suppeditantia fletum
Pectora, & hærentem, cum currere debeat, vndā.

Prô

Prô Superi! *(truncas immurmurat ille querelas,*
Altius hic mæret, secum gemit alter & alter)
HVC Pater Herculeus muro deiectus ab alto
Concidit:*hanc proprio resperſit ſanguine terram.*
Atq;ego non ſaltem geminos a pectore fontes
Erumpo ingratus? Quid ſegnia lumina, quid iã
Parcitis *irriguos altis excire cauernis*
Pulchrarum *lacrymarũ imbres? culpaſq;nefãdas*
Obruere, vt culpas vos inuexiſtis in altum
Prima cor, hostili dum panditis oſtia telo?
Tu quoq;cor,latebra excipiẽs,imo improbe venter
Concipiens, *& parturiens immane ſub auras.*
Omne nefas;abſorbe vorax puri ætheris ignem,
Congeſtaſque *alte grauido ſub pectore ſordes*
Diſcute*. ſin lento te circumplexa veterno*
Pigra tenet glacies,quin tu algida vincula frãgis
Ignipotens,tepidumq;fugax prorumpis in amnẽ?
Nunc adeo matura nouos occaſio fletus
Prouocat,ex alto cum viſcera feruor adurit
Intimus, exundanſq; iubet decurrere flumen.
Quodſi flere tamen renuis; me iudice,dignum es,
Vt tibi perpetuos iniungant Numina fletus.
Deniq; ab Herculea primam Laurentis *ad Aedẽ*
Regreditur, finem longis ambagibus agmen
Hic tandem poſiturum. Altam Saluuccius *Aram*
Ornatu inſignem tyrio, & Gangetide gemma
Conſpicuam *nitido conſtruxerat ante ſacello,*
Quod proprijs excultũ opibus,magno inſuper ære
Dotatum Stephano *ſacrauerat Aede ſub ipſa*

F Martyris

Martyris alterius.susceperat ore benigno
Leuitam Leuita, *sacrum sacer, ordine primum*
Tormento par. Laurigeros *fert inter athletas*
Ille prior sertum Tyrijs insigne lapillis:
Hic pariter sertũ gentili ex arbore Laurens
Igniuomis altum præfert illustre pyropis.
Quã bene quã tu inter socios, patriæque patronos,
Leuitasque inter medius fulsisse Sacerdos
Benuenias visus! peregrinos inter alumnus;
Purpureos inter can lens, atq; additus hospes
Hospitibus tamen ipse tuis! cum nuper ad Vrbem
Veneris ex agro, qui circum-funditur Vrbi
Proximus, aduersum regio qua spectat Eoum,
Primaq; pingentis sortitur Apollinis *aurum.*
Nempe ità Neapolio curauit Alumnus & *Altor*,
Et Pater & *Gnatus* Patriæ. Saluuccius *Aedem*
Exhibet, & pariter gaudens Ciue Hospite tanto;
Benuenias, o Benuenias, & Ciuis, & Hospes
Salue, inquit. propriamq; tibi Saluuccius *Aram*
Quam dicat, atq; offert; aram felicibus illam
Ingredere auspicijs. sedemq; domumq; perennem
Vsque libẽs, atq; vsq; fauens Pater *incole: quãquã*
Est meritis non æqua tuis. Beneueneris Vrbi
Custos Benuenias nouus: & Saluuccia munus
Quod solum pietas te poscit. age æthere ab alto
Indulgens concede Pater. *QVIcumq; salutem*
Orare huc veniat sacram prostratus ad aram;
Huic Bene, dic. venias: huic & concede salutem.
Sic ait. Hinc *Cælum tonitru visum omne cieri,*
Et

Et fulmen, non quale gemens eructat in altum
Terra, et flammigerum terræ Iuno algida reddit,
Sed quale ad læuam Cæli in regione serena
Per sudum rutilare micans aspeximus olim
Purius, optato quod roborat omine votum,
Et iubet esse ratum. Trepido concussa fragore
Mens fugit, haud aliter quā cum violenta quietē
Vox rumpit, timidusq; alto de pectore somnus
Indignans quatitur, tenues dilapsus in auras.
Sunt geminæ mentis portæ, quibus illa vicissim
Nocturna egrediens Cælo spatiatur aperto,
Sensibus ad plenum potis, somnoq; sepultis.
Altera candenti perfecta nitens argento,
Non multo ante tuos Titan recluditur ortus,
Qua mens per liquidas ad Verum ducitur auras.
Altera contra illam foribus narratur ahenis
Tum demum reserari, vndas cum Phœbus Iberas
Iam tenet, atq; diù stabulis iumenta sub altis
Aequoreum mandunt Neptunia pabula gramē.
Hac tamen interdum falsas egressus ad Vmbras,
Semper ad incertas Menti datur. Ergo recenti
Sensibus excitis tonitru; Mens icta reuerti
Approperat, portamque redux intrabat Eoam.
Sistor ego ante aram. celsis Dea sedit in astris.

DE TRIVMPHO AVGVSTO.

In reditum S. Herculani Martyris ad propriam domum.

FAMA per Etruscas late vulgauerat oras,
Ad sua Turrenum tecta redire Patrem.
Inuidus ab stygia prorumpit sede tyrannus,
Et secum aërios cogit in arma duces.
Nec mora: turbato tenduntur nubila cælo,
Nubila fulmineos voluere iussa globos.
Sensit, & igniferum pius arcuit Angelus imbrē,
Angelus, Augusti cui data cura soli est.
Rex Erebi frendens, Alio torrebimus, inquit,
Igne per Augustas agmina sparsa vias,
Actutum properate Polo discedere nubes,
Vt feruens humeros Phœbus, & ora coquat.
Ast ego nō patior. state, Angelus inquit: & vltro
Mulcete ardentem nubila densa diem.
Sic stygius Rex victori seruire superbo
Cogitur, atque armis occubat ipse suis.

Idem argumentum.

DEfensura æstum tentoria longa parabat
Magno incessuris agmine Comitolus.

Sed

Sed spatio in tanto, quæ Solem arcere furentem,
Quæ rabidum poterant vincere lina iouem?
Herenti, atque animum Cælo votumque ferenti,
Vt solitus rebus Præsul in ambiguis,
Vox audita Polo est, Non te cura ista fatiget.
Ingens Velabrum qui ferat, ipse dabo.
Nec mora: quas grauidus nubes densauerat aër,
Hinc iussus Pluto est tendere vela manu.

Dialogismus inter Clerum & Solem.

DEmiror, grauidas quod passus in aëre nubes
Cogier, obduxti lumen Apollo tuum.
Desine mirari: tam multas vestra ferebat
Dextera, tam multas agmina longa faces;
Rerer vt occasus noctem præcurrere nostros:
Seu foret ille dies, lux erat illa satis.

SILVII HORTINI
Ode.

In Restaurationem templi, ac Translationem Sancti Herculani.

DIffugere loco situs, & corrosa vetustas:
Splendor, & integritas

Iam redeunt. Horror siluis iniectus, & aruis.
Sic fugit, acta hyeme:
Gratior & rebus, Zephiro spirante teporem,
Conciliatur honos.
Rerum lima potens, caries, quid dentis acuti
Non perimis rabie?
Exiguam in scobem Romanas verteris arces,
Verteris & tyrias:
Niliacas operum moles attriueris: orbi
Et quod honoris erat.
Debueras templis funestas, impia, diuum
Abstinuisse manus.
Infandum ausa nefas; bellorum imitata furorē;
Cæli imitata luem.
Sed quid? si duris religauit colla catenis,
Pestiferamque luem
Compressit, nulli non formidanda furenti,
Comitulana manus?
Reddidit & formæ, quæ sunt collapsa, vetusta?
Quin meliora dedit?
Quin æternauit donis, quæ fama superstes
Non tacitura canet?
Viuet in æuum moles hæc, & viuet in æuum
Comitulanus honor,
Vel tetro nolente situ, carieue maligna.
Augurat hæc animus.

CEN-

CENTIMETRVM IN TRANSLATIONEM S. HERCVLANI MARTYRIS ET EPISCOPI PERVSIAE,

PER COLLEGIVM AVGVSTVM SANCTI BERNARDI.

Corrigēte M. Ant. Bonciario.

Lectori S.

IN huiusmodi Notis allegoricis, quas communi vocabulo Symbola nuncupamus, siue confingendis, siue inscribendis, siue etiam interpretandis; haud dubie homines eruditi, & rerum talium inspectores curiosi, vel iudicium nostrum desiderabunt, vel negligentiam condemnabunt, vel certe opinionem cognoscere studebunt: si qui forsitan tales in hæc inciderint, & paucula legere, aut sic excurrere sustinuerint. Dicam igitur tantummodo, & quam potero planissime, cōsilium meum quale fuerit, in his singulis non dicam faciundis (nam

alij fecerunt, quorum nomina liber cantat) sed aut castigandis, aut approbandis, aut tantum non reprobandis.

Primum hoc spectauimus, atq; hoc operam dedimus, vt pleraque Symbola sic ad vnum S.Herculanum, eiusque aliquam siue actionem, siue animi dotem pertinerent; vt non facile aliò trahi, & ad alios Cœli Ciues transferri posse viderentur. Quæ vero interiecta sunt communia, vel non vnius Herculani maxime propria; permisimus tamen ob has causas non illibenter. Primum in tanto numero Argumentorum, eòdem plane spectantium, posse ferri existimauimus non nulla ex communibus locis deprompta, vt paucos aduenas in oppido ciuibus frequente. Secundo extera illa & communia forsan dici amplius non debent, quæ per appositum Lemma coarctantur, & quasi donantur ciuitate. Tertio inualuisse consuetudo videtur inter doctos, id quod ratio per se suadebat, vt corpora talium Allegoriarum in commune omnibus exposita, vnusquisque posset sua facere, ac sibi vindicare per ingeniosam applicationem; quæ scilicet vel a solo Lemmate, vel a solo Epigrammate, vel coniunctim ab vtroque penderet.

Atq; hæc cum ita se habeant: duo tamen sunt non leuia peccata, quorum habeo veniam petere ab eruditis, & non diffido impetraturum, licet consulto & data opera, nó imprudens peccauerim

uerim

uerim. tanti eſt in hoc genere confeſſio. Primum Lemmata illa & perigraphas Symbolorum feci perſæpe (imo arbitror ſemper) tam perſpicuas, tam apertas, & tam facile mentem Auctoris exprimentes; vt minimum, vel potius nihil ingenio relinquant inſpicientium, & de ſuo aliquid conferre volentium. Tale inter cetera videtur illud de Arca S. Herculani diuinitus reperta, HIC habitabo, quoniam elegi eam. & illud alterum ſuper eadem, OPPORTVNA. Item hoc de duabus coronis, quarum ſpinea prius ponitur, aurea poſterius, NON ad illam, niſi per hanc. Quod poſtremum non modo nimis perſpicuum, ſed etiam nimis longum videtur, & potuit ſine dubio breuius, PER hanc ad illam. imo adhuc breuius, HINC ILLO.

Sequitur peccatum ſecundum, ſine dubio grauius, quia magis eſt contra regulas, contraque conſuetudinem talia ſcribentium. Cum Symbola omnia duum generum ſint, alia ſimplicia & valde in anguſtum redacta, quæ nunc Stemmata vocamus (vulgo Inſignia, vel Incepta) alia magis ampla & libera, quæ docti Emblemata vocant: priora illa breui tantum inſcriptione contenta ſunt, eamque Stemmatis quaſi animam eſſe volunt: verſus alios non requirunt. Emblemata vero adſcriptis verſiculis interpretari neceſſe eſt: inſcriptionem & ſi habere poſſunt, nō deſiderant tamen: neque habent, niſi admodum generalem

generalem, vt ſunt illæ apud Alciatum, BONIS a diuitibus nihil timendum, IN pauperem ingenioſum, IN detractores, & aliæ generis eiuſdem. Quale igitur vel in Stemmate, vel in Emblemate fuit peccatum noſtrum?. Palam eſt in vtroque. Nam Stemmati ſemper ſubiecimus Epigramma; & Emblemati ſemper propriam Inſcriptionem. Studuimus videlicet (quam prudenter neſcio, certe diligenter) vt tam Stemmata, quam Emblemata ex proprijs tantum Lemmatibus intelligi facillime poſſent, nec vllo indigerent interprete ac magiſtro epigrãmate. pariter noluimus Epigrammata ſic pendere a Symbolis antepoſitis, vt per ſe conſiſtere non poſſent, & percipi ſine illis. Ceterum mihi ſic videtur, non adeo rem magnam atq; arduam facere, ſi quis Symbolum excogitet ac proponat nudum ſine epigrammate. verſus ego ſemper requiro, preſertim a iunioribus meliorum artium candidatis: in eoque tantum momenti ac roboris eſſe conſtituo, vt longe pluris æſtimandum cenſeam commune aliquod Symbolum verſibus non communibus euolutum, quam vel muta Emblemata, vel Inſignia tantum lemmâta: quamquam fuerint ceteroqui arguta & ingenioſa. certe adoleſcentibus ad Muſas tendentibus hæc ratio eſt lõge magis accommodata. Et ego quidem, alias etiam propter cauſas, nõ fero libenter vllas eiuſmodi allegorias ſine verſiculis rem explicantibus

Nam

Nā quod inuentio ipſa in pleriſq; vulgarior ſit, & genus totum ſcribendi parum elegans, parum emendatū: id quoq; adeo non defendimus, vt pariter vltro veniamus ipſi accuſatum; ne ſcilicet vna in re duplex damnum feciſſe videamur, ingenij, & iudicij. nunc in altero communis Parens appellanda eſt, cuius maiorem liberalitatem ſortiti non ſumus: in altero nos imperium alienum non modo excuſabit, ſed etiam opinor, commendabit. Hæc volebam, neſcius ne eſſes ingenue lector. Ceterum nos quam prompti fuimus peccata detegere non rogati; tam erimus emendare, ſi monemur, aut corrigimur a doctis. Bene Vale. Ex Collegio S. Bernardi Calendis Sextilibus CIↃCↃCIX.

IN

IN TRANSLATIONEM S. HERCVLANI MARTYRIS ET EPISCOPI PERVSIAE,

Symbola vel Emblemata cum Epigrammatis.

Conuictores Primæ Classis.

Ad Reuerendissimum
D. NEAPOLIONEM COMITOLVM
EPISCOPVM.

Symbolum primum.

AGricola palmitem ex ampla vite discerptum infodit, & sic duplicem colligit fructum. Lemma erat. TRVNCATA FERTILIOR.

In S. Herculani Relliquias translatas.

Epigramma primum.

FLoreat vt crebris vindemia larga racemis,
Et musto sudent vberiore lacus:
Vinitor

Vinitor excindit fecundæ pignora matris,
Infodiensque alibi luxuriare docet.
Nec sua truncatus lędit cunabula palmes,
Sed pariter faciunt mater, & ille lucrum.
Non aliter, Sancti qui Martyris ossa recidens
Diuidis, inq; suam fers recolenda domum,
Comitole; Herculeum nomen famamq; propagas:
Victima cum tumulos consecret vna duos.

Symbolum II.

Lilia hinc riuis vberibus irrigata, hinc Sole illustri recreata. Lemma, NON ME FERVENTES AESTVS, AVT FRIGORA BRVMAE.

AD EVNDEM ANTISTITEM in easdem Reliquias.

Epigramma II.

Consita purpureo candentia Lilia campo,
Est generis priscum Nauplio stemma tui.
Hæc quando Herculeũ trãslata reponis in hortũ,
Et simul Herculeo sparsa liquore rigas:
Prosper ab excelso Phœbus respectat Olympo.
Non est humana quod foueantur ope.

Symbolum

Symbolum III.

HErcules Hydram, identidem capita parientem gladio detruncat. Lemma, MORS FECVNDA.

In S. Herculani fecundum Martyrium.

Epigramma III.

CVM caput Alcides gladio discinderet Hydræ,
Foetaq; septuplex redderet Hydra caput:
(Ignosce audaci Præsul sanctissime) iam non
Amplius Alcides ipse, sed Hydra mihi es.
Nam velut excisum caput vnum multa rependit,
Sic Cælo Ciues mors tua mille parit.

Symbolum IIII.

VAS Alabastrinum vnguentis redundans, ex alto delapsum confringitur. Lemma, MVLTIPLICATVS ODOR.

In eiusdem S.Herculani Martyrium.

Epigramma IIII.

PRæcipitans obtruncatus de vertice Vertex,
Contactam largo sanguine sparsit humum.
Accu-

Accurrit casum miserans pia turba, Patremque
Dum tumulat, Superis hostia crebra cadit.
Testa etiam confracta, opibus repleta Sabæis,
Late fragranti munere ditat humum.

Symbolum V.

PAstor Vrnam manu præferens, qua vndam ex perenni Fonte in alium æque perennē, sed minorem transfundit. Lemma, ALTERVM IMPLEO, ALTERVM NON DEPLEO.

In Sanctorum Relliquias decerptas, & alio translatas.

Epigramma V.

F*ONS non decrescit viuis circumfluus vndis,*
Tradere crescentes si iubeatur aquas.
Sunt similes sacri cineres. Si detur habendo
Pars aliјs, qui dat, perdidit ille nihil.

Symbolum VI.

ARundo viridans prælonga, & vento impulsa, molliter inclinata procumbit. Lemma, TVTA SEMPER HVMILITAS.

In .Herculani singularem Modestiam.

Epigramma VI.

CVR validis impulsa flabris cõfringitur Ilex,
Et leuis iratos ludit Arundo Notos?
Nempe Ilex contra pugnat, non pugnat Arundo.
Stans illa obdurat, prona dat ista locum.
HAVD vnquã cuiquã matura Modestia fraudi
Multos in praeceps fastus et ira dedit. *(est.*

Symbolum VII.

S Herculanus primus, feris bestijs obiectus, neutiquam læditur; sed cum admiratione suspicitur, & adoratur. Lemma, VINDICEM ANTIQVVM VERENTVR.

De S. Herculano primo inter Feras.

Epigramma VII.

QVis iste, quem ferire non audet Leo?
Ad genua cui deuoluitur, & ambit pedes
Humilis, remissa, supplicans Tygris, Lea?
In quem nec vngues Vrsa, nec dentes Aper,
Nec arma Taurus expedit minax sua?
Quid tam feroces ceteris, vnum virum
Horrent inermem, nudum, & exanguem Feræ?
Nempe

Nempe Herculanum ab Hercule genitũ sciunt,
Clauamq; reminiscuntur, & fortes manus.

Symbolum VIII.

ARCA marmorea plane diuinitus recens inuenta, ossibus S. Herculani recondendis, Lemma, OPPORTVNA.

In S. Herculani nouam Arcam Sepulcralem.

Epigramma VIII.

PRAESVL ab excelso cũ vidit corpus Olympo
Suum referri in nobilem, & nouã Domũ:
Hanc sibi marmoream quæsiuit protinus Arcam,
Hoc, inquiens, cubabo commodius toro.
Et ne quis fortasse meum sibi vindicet vnquam;
Insigne marmor decorat Herculeum Leo.

Symbolum VIIII.

VIR ad saltum expeditus, vt latam fossam facilius pertranseat, retro paulum regreditur. Lemma, ADIVVAT REGRESSVS PROGRESSVM.

In S.Herculanum de muro præcipitatũ,

Epigramma VIIII.

MOEnibus ex altis peſſum deiectus, ab imo
Colle repercuſsus Præſul in Aſtra ſalit.
Sic cui prægrandis ſaltu vincenda vorago eſt,
Ante refert, mox fert acrius vltra pedem.

Symbolum X.

AGRICOLA falcem manu geſtans, Vitem Vlmo maritatam, & ab ſe antea putatam, rurſus perſpicit, & conſiderat. Lemma, NVM QVID LVXVRIET.

In S.Herculani nouam Translationem,

Epigramma X.

CVR hodie tanta cũ luce perambulat Vrbẽ,
Et tanto ſplendens agmine Præſul ouat?
Scrutatur num quid fortaſſe ſuperfluat, ex quo
Luxuriem gnatæ ſtrinxerat ille ſuæ.
Non aliter doctus vernantis Vinitor vuæ,
Arboris ampla nimis bracchia falce metit.

Sym-

Symbolum XI.

IRIS vespertina, Soli opposita, iam ad occasum tendenti. Lemma, DISCVTIT IMBRES.

In S. Herculani conspectum Vrbi redditum,

Epigramma XI.

SOLE sub occiduo splendens Thaumãtias Iris,
Expellenda Polo nubila cuncta docet.
Vespere contingit conspectus in Vrbe parentis:
Placatum nobis nunciat esse Deum.

Symbolum XII.

HEliotropium ad Solem, etiam intra nubes latentem, se conuertit. Lemma, VSQVE SEQVAR TE.

S.Herculanus Deũ obsessus alloquitur.

Epigramma XII.

SINT licet incassum molimina cũcta tuentũ,
Et hinc, & illinc hostis ingruat ferox.

Sint alimenta licet consumpta, nec amplius acrē
Augusta possit ferre Ciuitas famem.
Tum licet immissus victor late omnia miles
Diripiat, & cruore respergat vias.
Te tamen alme Pater manibus, corde, ore sequemur,
Sensumq; tēperabimus nostrū ad tuū.
Vt solet ad Solem vultus conferre sequaces
Flos; vel latere si videat altum iubar.

Symbolum XIII.

HErculis simulacrum districta Claua horribile, ac pelle Leonis indutum, in limine Vrbis Augustæ stans. Lemma, PROCVL ESTE.

In Custodem Perusiæ S.Herculanum.

Epigramma XIII.

QVam vim, quas fraudes metuas pia Patria? Fortis
Mœnibus in summis excubat Heraclides.

Symbolum XIIII.

PAstor gregem seruaturus, Lupum astu arcere conatur. Ouis ingrata Lupum reuocat ad Rectorem trucidandum, & illa pariter trucidatur. Lemma, PERFIDIA VINDICATA.

In

In Vrbis Proditorem supplicio affectū,

Epigramma XIIII.

OPpida commento Præsul Turrena salubri
Obsessa liberare dum vigil parat:
Clericus ad Regem Perusini cuncta Senatus,
Consilia referens perfidus, prodit Patrem.
Sed parricidæ nunquam stat longa voluptas,
Raroq; mentem proditor satiat suam.
Cum furor Augustā prosterneret hosticus Vrbē,
Inter cadentes impius prior cadit.

Symbolum XV.

LAurus folium iam arefactum, prunis ardentibus impositum, stridet reuiuiscens. Lemma, INGENS CALOR NOVAM VITAM.

In Puerum ab S. Herculano iam defuncto suscitatum,

Epigramma XV.

IN qua luce Pater Cælum sublatus ad altum,
Iacta in sanguineam corpora vidit humū:
Commoritur Puer, & tumulo tumulatus eodem,
Per bis vicenos hic iacuere dies.

G 3 *Tunc*

Tunc Pater effoditur, sacram condendus in Aedē,
Effoditur iuxta inuentus & ipse Puer.
Sed longe apparet facies diuersa duobus.
Marcidus hic squalet, integer ille nitet.
Integer est Præsul, capite ad sua colla reuerso,
Et nullam retinent saucia terga notam.
Effertur. Tristes Pueri venere Parentes,
Et Puerum sistunt Præsulis ante latus.
(Mira fides!) vitam contactus reddidit ille.
Redditur Herculeo gratia longa Patri.
Sic licet arentem videas reuirescere laurum,
Cum latus exuccum feruida flamma coquit.

Symbolum XVI.

PERVSIA hinc atq; hinc dupplici Sole illuminata. Lemma, QVID ILLVSTRIVS?

In Herculis Etymologiam,

Epigramma XVI.

HErculis hoc nomen designat Gloria Magni
Aetheris. hocce quid est, Aetherius nisi Sol?
Non ergo est quicquam toto te clarius Orbe,
Cum Soles habeas Vrbs Perusina duos.

Symbolum XVII.

BRacchium ex nube prominens, latissimum sustinet Velabrum, trepidosq; agnos ab im bribus

bribus desuper ruentibus tuetur. Lemma, SECVRITAS.

In S Herculani optimam custodiam,

Epigramma XVII.

QVAE trepidos extensa greges Vmbella tuetur,
Iniurias furentis eiciens Noti;
Te Pater ostendit, læsi quin Numinis iram
Auertis, atq; in terga conuertis tuam.

Symbolum XVIII.

EPiscopus apprehensum crinibus Leonem, cogit resistere. Lemma, NE RVAT.

In S. Herculani Prudentiam,

Epigramma XVIII.

NE ruat in præceps referens Augusta Leonē,
Herculis apprendit dextera fida comam.

Symbolum XIX.

AGricola surculos ex arbore frugifera recisos, inserit propinquæ infrugiferæ. Lemma, AD PROPAGANDVM.

In Relliquias S. Herculani Translatas,

Epigramma XVIIII.

QVAS Pater in propriam sacrati Martyris (Aedem
Decerptas gaudet condere Relliquias;
Par est, hic etiam praeclaros edere fructus,
Et maiora suo pastus ferre gregi.
Sic ex frugifera tenerum capit arbore germen
Rusticus, & multo pignore ditat agros.

Symbolum XX.

ANgelus duas praefert Coronas, dextera Spiceam, sinistra Auream, gemmis coruscantem. Lemma, NON AD ILLAM NISI PER HANC.

In Palmam Martyrij,

Epigramma XX.

TEmpla duo priscos fama est habuisse Quirites
Quorum hoc Virtutis, illud Honoris erat.
Nec nisi per primum posses intrare secundum.
Sola dabat Virtus Aedem ad Honoris iter.
Ordine non alio videas meruisse Coronam
Martyras, ad Gemmam Spina dat vna viam.

Sym-

Symbolum XXI.

LEO similis dormienti, oculis patentibus; Lemma, NEC SOMNVS SINE VIGILIA.

In Pastoris Vigilantiam,

Epigramma XXI.

CVM nec luce Pater, nec nocte quieueris vl-
Dū grauis obsesso septima staret hiems: (la,
Quam bene Custodem te dicimus esse perennem!
En praestas etiam mortuus excubias.
Recte magnanimum praefers Insigne Leonem.
Hic neq; cum dormit, condere lumen amat.

Symbolum XXII.

CYCNVS, morte imminente, suauius canit. stupidę aues suspiciunt ac miserari videntur. Lemma, MORIBVNDVS VOCALIOR.

In S. Herculani efficaciores hortationes sub ipsam mortem,

Epigramma XXII.

BArbaricis obsessam armis, fatoq; propinquā
Heraclides Perusiam fortius monet,

Vt

In Relliquias S. Herculani Translatas,

Epigramma XVIIII.

(Aedem
QVAS Pater in propriam sacrati Martyris
Decerptas gaudet condere Relliquias;
Par est, hic etiam praeclaros edere fructus,
Et maiora suo pascua ferre gregi.
Sic ex frugifera tenerum capit arbore germen
Rusticus, & multo pignore ditat agros.

Symbolum XX.

ANgelus duas præfert Coronas, dextera Spineam, sinistra Auream, gemmis corruscantem. Lemma, NON AD ILLAM NISI PER HANC.

In Palmam Martyrij,

Epigramma XX.

TEmpla duo priscos fama est habuisse Quirites
Quorum hoc Virtutis, illud Honoris erat.
Nec nisi per primum posses intrare secundum.
Sola dabat Virtus Aedem ad Honoris iter.
[illegible]dine [illegible] alio videas meruisse Coronam
N[illegible] ad Gemmam Spina dat vna viam.

Sym-

Symbolum XXI.

LEO ſimilis dormienti, oculis patentibus: Lemma, NEC SOMNVS SINE VIGILIA.

In Paſtoris Vigilantiam,

Epigramma XXI.

CVM nec luce Pater, nec nocte quieueris vl- (la,
Dũ grauis obſeſſo ſeptima ſtaret hiems:
Quam bene Cuſtodem te dicimus eſſe perennem!
En præſtas etiam mortuus excubias.
Recte magnanimum præfers Inſigne Leonem.
Hic neq; cum dormit, condere lumen amat.

Symbolum XXII.

CYCNVS, morte imminente, ſuauius canit. ſtupidę aues ſuſpiciunt ac miſerari videntur. Lemma, MORIBVNDVS VOCALIOR.

In S. Herculani efficaciores hortationes ſub ipſam mortem,

Epigramma XXII.

BArbaricis obſeſſam armis, fatoq; propinquã
Heraclides Peruſiam fortius monet,

Vt

In Relliquias S. Herculani Translatas,

Epigramma XVIIII.

(Aedem
QVAS Pater in propriam sacrati Martyris
Decerptas gaudet condere Relliquias;
Par est, hic etiam praclaros edere fructus,
Et maiora suo pascua ferre gregi.
Sic ex frugifera tenerum capit arbore germen
Rusticus, & multo pignore ditat agros.

Symbolum XX.

ANgelus duas præfert Coronas, dextera Spineam, finistra Auream, gemmis corruscantem. Lemma, NON AD ILLAM NISI PER HANC.

In Palmam Martyrij,

Epigramma XX.

TEmpla duo priscos fama est habuisse Quirites
Quorum hoc Virtutis, illud Honoris erat.
Nec nisi per primum posses intrare secundum.
Sola dabat Virtus Aedem ad Honoris iter.
Ordine non alio videas meruisse Coronam
Martyras, ad Gemmam Spina dat vna viam.

Sym-

Symbolum XXI.

LEO similis dormienti, oculis patentibus. Lemma, NEC SOMNVS SINE VIGILIA.

In Pastoris Vigilantiam,

Epigramma XXI.

CVM nec luce Pater, nec nocte quieueris vl- (la,
Dũ grauis obsesso septima staret hiems:
Quam bene Custodem te dicimus esse perennem!
En præstas etiam mortuus excubias.
Recte magnanimum præfers Insigne Leonem.
Hic neq; cum dormit, condere lumen amat.

Symbolum XXII.

CYCNVS, morte imminente, suauius canit. stupidę aues suspiciunt ac miserari videntur. Lemma, MORIBVNDVS VOCALIOR.

In S. Herculani efficaciores hortationes sub ipsam mortem,

Epigramma XXII.

BArbaricis obsessam armis, fatoq; propinquã
Heraclides Perusiam fortius monet,

Vt

In Relliquias S. Herculani Translatas,

Epigramma XVIIII.

(Aedem
QVAS Pater in propriam sacrati Martyris
Decerptas gaudet condere Relliquias;
Par est, hic etiam praeclaros edere fructus,
Et maiora suo pascua ferre gregi.
Sic ex frugifera tenerum capit arbore germen
Rusticus, & multo pignore ditat agros.

Symbolum XX.

ANgelus duas praefert Coronas, dextera Spineam, sinistra Auream, gemmis corruscantem. Lemma, NON AD ILLAM NISI PER HANC.

In Palmam Martyrij,

Epigramma XX.

TEmpla duo priscos fama est habuisse Quirites
Quorum hoc Virtutis, illud Honoris erat.
Nec nisi per primum posses intrare secundum.
Sola dabat Virtus Aedem ad Honoris iter.
Ordine non alio videas meruisse Coronam
Martyras, ad Gemmam Spina dat vna viam.

Sym-

Symbolum XXI.

LEO similis dormienti, oculis patentibus. Lemma, NEC SOMNVS SINE VIGILIA.

In Pastoris Vigilantiam,

Epigramma XXI.

CVM nec luce Pater, nec nocte quieueris vl-
Dū grauis obsesso septima staret hiems: *(la,*
Quam bene Custodem te dicimus esse perennem!
En præstas etiam mortuus excubias.
Recte magnanimum præfers Insigne Leonem.
Hic neq; cum dormit, condere lumen amat.

Symbolum XXII.

CYCNVS, morte imminente, suauius canit. stupidę aues suspiciunt ac miserari videntur. Lemma, MORIBVNDVS VOCALIOR.

In S. Herculani efficaciores hortationes sub ipsam mortem,

Epigramma XXII.

BArbaricis obsessam armis, fatoq; propinquā
Heraclides Perusiam fortius monet,

Vt

Tunc Pater effoditur, sacram condendus in Aedẽ,
Effoditur iuxta inuentus & ipse Puer.
Sed longe apparet facies diuersa duobus.
Marcidus hic squalet, integer ille nitet.
Integer est Præsul, capite ad sua colla reuerso,
Et nullam retinent saucia terga notam.
Effertur. Tristes Pueri venere Parentes,
Et Puerum sistunt Præsulis ante latus.
(Mira fides!) vitam contactus reddidit ille.
Redditur Herculeo gratia longa Patri.
Sic licet arentem videas reuirescere laurum,
Cum latus exuccum feruida flamma coquit.

Symbolum XVI.

PERVSIA hinc atq; hinc dupplici Sole illuminata. Lemma, QVID ILLVSTRIVS?

In Herculis Etymologiam,

Epigramma XVI.

HErculis hoc nomen designat Gloria Magni
Aetheris. hocce quid est, Aetherius nisi Sol?
Non ergo est quicquam toto te clarius Orbe,
Cum Soles habeas Vrbs Perusina duos.

Symbolum XVII.

BRacchium ex nube prominens, latissimum sustinet Velabrum, trepidosq; agnos ab im-

bribus

bribus desuper ruentibus tuetur. Lemma, SECVRITAS.

In S Herculani optimam custodiam,

Epigramma XVII.

QVAE trepidos extensa greges Vmbella tuetur,
Iniurias furentis eiciens Noti;
Te Pater ostendit, læsi quin Numinis iram
Auertis, atq; in terga conuertis tuam.

Symbolum XVIII.

EPiscopus apprehensum crinibus Leonem, cogit resistere. Lemma, NE RVAT.

In S. Herculani Prudentiam,

Epigramma XVIII.

NE ruat in præceps referens Augusta Leonē,
Herculis apprendit dextera fida comam.

Symbolum XIX.

AGricola surculos ex arbore frugifera recisos, inserit propinquæ infrugiferæ. Lemma, AD PROPAGANDVM.

In Relliquias S. Herculani Translatas,

Epigramma XVIIII.

(Aedem

QVAS Pater in propriam sacrati Martyris
Decerptas gaudet condere Relliquias;
Par est, hic etiam præclaros edere fructus,
Et maiora suo pascua ferre gregi.
Sic ex frugifera tenerum capit arbore germen
Rusticus, & multo pignore ditat agros.

Symbolum XX.

ANgelus duas præfert Coronas, dextera Spineam, sinistra Auream, gemmis corruscantem. Lemma, NON AD ILLAM NISI PER HANC.

In Palmam Martyrij,

Epigramma XX.

TEmpla duo priscos fama est habuisse Quirites
Quorum hoc Virtutis, illud Honoris erat.
Nec nisi per primum posses intrare secundum.
Sola dabat Virtus Aedem ad Honoris iter.
Ordine non alio videas meruisse Coronam
Martyras, ad Gemmam Spina dat vna viam.

Sym-

Symbolum XXI.

LEO similis dormienti, oculis patentibus. Lemma, NEC SOMNVS SINE VIGILIA.

In Pastoris Vigilantiam,

Epigramma XXI.

CVM nec luce Pater, nec nocte quieueris vl- *(la,*
Dū grauis obsesso septima staret hiems:
Quam bene Custodem te dicimus esse perennem!
En praestas etiam mortuus excubias.
Recte magnanimum praefers Insigne Leonem.
Hic neq; cum dormit, condere lumen amat.

Symbolum XXII.

CYCNVS, morte imminente, suauius canit. stupidę aues suspiciunt ac miserari videntur. Lemma, MORIBVNDVS VOCALIOR.

In S. Herculani efficaciores hortationes sub ipsam mortem,

Epigramma XXII.

BArbaricis obsessam armis, fatoq; propinquā
Heraclides Perusiam fortius monet,

Vt

Vt Cælum spectet vitæ secura cadentis:
Illic manere præmium, & palmam pios.
Quod verbis docuit, factis expressit. Euntem
Miles sub Astra cernit attonitus Ducem.
Sic sua dulce querẽs modulatur funera Cycnus,
Adstantiumq; sic stupet auium chorus.

Symbolum XXIII.

CYCNVS Apollini Sacer, cum Aquila congressus, prostrati & victi speciem præbet. Sed idem resurgit victor. Lemma, VINCI VIDEOR, NON VINCOR.

In S.Herculani victoriam,

Epigramma XXIII.

BArarus Herculeo respersus sãguine dextr
Rex incedebat vasta per arua minax.
Ecce ho minẽ valido Dux opprimit agmine Nar
Et victum stygios trudit ad vsq; lacus. (ses,
Præsul, sidereos inter spectandus Olores,
Nectareum roseo concinit ore melos.

In

IN EANDEM TRANSLATIONEM EPIGRAMMATA SINE SYMBOLIS, Conuictorum Primæ Classis.

Sancti Herculani, & Herculis comparatio.

Epigramma XXIV.

VT portenta graui contunderet impia quercu
Ab Syria nostros venit ad vsq; lares
Inclytus Alcides. Maiora vt monstra domaret,
Maioremq; Italo pelleret Orbe luem;
Alcides alius, regione aduectus eadem,
Nos miserans nostra fixit in Vrbe pedem.
Ille sed Alcides quoniam discessit; abacta
Latronum rediit conscelerata manus.
Et late Ausonias crudelius impetit oras,
Quam fecere olim trux Leo, sæuus Aper.
Sed noster quoniam nostris consedit in aruis,
Et sunt Patrono mænia tuta suo:

Nulla

Nulla superstitio fortes infecit alumnos,
Pura sed est nobis vsq; retenta Fides.

In S. Herculani Templū Dialogismus.

Epigramma XXV.

CVR Pater extremis habitare in manibus Vr-
Eligit? Vt faciat Ciuibus excubias. (bis
Non opus excubÿs: vicinam Bubalus Arcem
Obtinet. arcebit cornibus ille feras.
Certe: sed non ille Vrsos, non ille Leones.
Hi tantum fortis Herculis arma timent.

Ad Eundem,

Epigramma XXVI.

CVR habitare Pater gaudes in manibus al-
An spatio videas vt propiore Polos? (tis?

Ad S. Herculanum Episcopū Martyrē,

Epigramma XXVII.

CVR caput abscindi Totilas tibi iussit, et ense
Cædier ex humeris cingula bina tuis?
Rex odium crudele suum testatus in illo est:
Non aliud. Sed nos credimus hoc aliud.
Imprudens tibi Pontificum *depinxit honorem.*
Mitratum caput est vitta secuta duplex.

De S Herculano in restauratam ab Antistite Domum relato,

Epigramma XXVIII.

QVI potuerit hic abesse tam diu domo
Secundus Herculanus ab sua, viros
Cum sæpe frustra quærere didicerim pios:
Quæ nunc in animum causa nobis incidit,
Communis esto. Nullus ornabat Domum,
Nullus parabat. Comitolus illam prior
Substruxit, instaurauit & pecunijs
Largus, pius, benignus ornauit suis.
Humile tugurium non decebat Herculem.

In populos a S.Herculano conuersos ad Fidem.

Epigramma XXIX.

HErculis inuicti nomen famamq; meretur,
Herculeo si quis digna labore facit.
Quid magis Herculeũ est, vel quid magis Hercule dignũ
Quã populis vitæ munera grata dare?
Hæc tu olim Alcides; noster post exhibet Heros.
Sed sunt hæc donis vberiora tuis.
Tu domitor monstrorum Orbi adduxisse salutem
Diceris, obturbans tartara ad ima viros.

At

At noster contra populos a faucibus Orci
Ereptos, domino datq; dicataq; suo.

In S. Herculanum de muro præcipitem datum,

Epigramma XXX.

HErculeum Totilas truncatum colla Parentē
Trudit, ad infernas & iubet ire domos.
Sed nimium crudi mens est decepta Tyranni.
Truditur in præceps, at petit ille Polum.

In Aedem S. Herculani restitutam,

Epigramma XXXI.

HErculeam prius ornauit Comitolus Aedem,
Dein illo Patrem transtulit Herculeum.
Sic Deus effigiem primum formauit Adami,
Atq; laboratam post animauit humum.

Ad S.Herculanum redeuntem ad proprios Lares,

Epigramma XXXII.

PAR erat vt lōgū Præses peregrinus, & absens,
Ad proprias tandē regrederere domos.

S.Her-

S. Herculani Vindicta,

Epigramma XXXIII.

PRæsul vbi Totilæ violentis occubat armis,
Et datus in præceps æthera scandit ouans:
Ab Duce Cælicolum; pro quo pugnauerat ille,
Gotthorum aduersus tela reposcit opem.
Mittit cũ celeri Eunuchũ *Deus agmine Narsẽ.*
Et *Rex semihominis (prô pudor!) ense cadit.*

In Pastorem pro ouibus suis morientẽ,

Epigramma XXXIV.

QVOD verbis docuit, factis impleuit IESVS,
Pro grege cum vitam tradidit ille suam.
Martyr dura sequens fortis vestigia Regis,
Pro populis animam ponit & ipse suam.

In Tyranni, & Carnificis inanẽ conatũ,

Epigramma XXXV.

DVrus Romulides extinguere certus amorẽ,
Quo Martyrem *flagrare sensit in Deum;*
Admouet ardentes, truditq; sub ilia flammas
Hinc pectus, aluum, terga carnifex coquit.
Nimirum stolidus crucias, & crudus ineptis;
Si ab ignibus Tyranne *vis ignem mori.*

Ad

Ad S.Herculanũ suas Aedes repetentẽ,

Epigramma XXXVI.

QVO sacer Alcidei quo Vir fortissime tendis?
Vt vastum releues forsan Atlantis onus?
Non puto. Sed moles & mœnia lata tuorum
Vt firmes; prima sistis in Vrbe gradum.

In duos SS. Herculanos,

Epigramma XXXVII.

BEATA quondam gens cluebat, Herculem
Duntaxat vnum si liceret consequi.
Beata tu præ ceteris Perusia,
Benigna cui sors Hercules dedit duos.
Imo nec Hercules dedit tantum duos,
Sed Herculanos, nempe Magnos Hercules.

S.Herculani, & Herculis robur collatum,

Epigramma XXXIII.

SI toties geminantẽ Hydram Nemeosq; Leones
Ferro, igne, valida superat Hercules manu:
Non minor ex vno constat victoria Grypho,
Quem tu Herculane pariter inuictus domas,

Bestia

Bestia stat monstris Turrena ferocior illis :
Nec verba præter aliud est telum tibi .

Ad S.Herculanum cum suis morie͂tem ,

Epigramma XXXIX.

PAstorum Pastor Christus tibi credidit olim,
O Herculane Pastor, Augustas oues .
Tu per Martyrium celso translatus Olympo,
Transfers eodem & creditum tibi gregem.
Hoc est nimium Pastori reddere primo ,
Quod sedulo curaueris, saluum pecus .

In S.Herculani Translationem ,

Epigramma XL.

HErculei Patris Sanctus Petrus ossa tenebat,
Inde in Laurentem lata fuere Domum.
Nuper nata ingens inter contentio Diuos.
Nam repetit Petrus : tu dare Laure negas .
Lis ita composita est . Lauro descendat ab alto ,
Nec tamen ad Petri , se ferat vsq; Domum .
Sed spatio in medio , clara consistat in Aede,
Quam Pater ipse Patri donat habere suo .

IN TRANSLATIONEM S. HERCVLANI MARTYRIS ET EPISCOPI PERVSIAE,

Symbola, vel Emblemata cum Epigrammatis:

Conuictores Secũdæ Claſſis.

Symbolum XXIV:

VRNA odoratis vnguẽtis referta, cui opifex vnguentarius detractũ operculum manu ſuſpenſum tenet. Lemma fuit, APERTA FRAGRANTIOR.

De S. Herculani Martyrio.

Epigramma XLI.

SIT vel Achæmenijs imbuta liquoribus vrna;
Et tegat Aſſyrio balſama miſta croco.
Non potis illa tamẽ, niſi ponat opercula, grandẽ
Suauiter hac illac ſpargere odore domum.

Tu

Tu Pater Italiam felici vectus ab Indo,
Pectora Panchaeo nectare plena ferens,
Non tantis nostras ditasses frugibus oras,
Ni meteret sacrum Barbarus ense caput.

Symbolum XXV.

LAVRVS virens vnde auolans candida Columba discedit, & ad cespitem Liliorum pariter candentium se confert. Lemma, INVITAT MATVRVS ODOR.

In S.Herculani Translationem ab Laurentiana Aede ad suam,

Epigramma XLII.

CVR Hospitem Columba deseris Laurum,
Et Liliorum folia sic petis praepes?
Non desero: sed lacteum sequens nectar,
Qua me rapit fragrantium decus florum,
Sic auolo, vt me prisca retineat sedes.
Et hic, & illic esse me licet credas.

Symbolum XXVI.

CAELVM imbribus perfluens, & fulminibus coruscans: supra quod in aethere puriore auis Ardea expansis alis pendet. Lemma, TVTISSIMVM PERFVGIVM.

De S. Herculano tentationum impetus vitante,

Epigramma XLIII.

CVM fera tẽpestas, & turbidus imminet imber,
Se super & nubes Ardea tollit auis.
Sic Præsul stygios tentati pectoris æstus
Effugit, excelso raptus in Astra pede.

Symbolum XXVII.

ARCA marmorea, Sepulcrum S. Herculani duobus hinc & hinc Leonibus affigiatis. Lemma, EXCVBANTI EXCVBAMVS.

In duos Leones S. Herculano excubias facientes,

Epigramma XLIV.

OBsecro, qui, quales, vnde huc venere Leones,
Vt cineri facerent Herculis excubias?
Vranie si vera refert, sunt scilicet ijdem,
Misit in Herculeum quos Fabianus auum.
Atq; illos huc misit auus, caroq; Nepoti
Ferte, ait, excubias, qui mihi blanditias.

Sym-

Symbolum XXVIII.

HErcules cum Leone Nemeęo congreſſus creditum ſibi armentum tuetur, fera interfecta & excoriata. Lemma, VEL ANIMAM PRO MEIS.

In S.Herculanum Peruſiæ Paſtorem,

Epigramma XLV.

CVM ferus in pecudes debaccaretur Etruſcas,
Ex Acheronteo concitus amne Lupus:
Herculeus Paſtor facundæ robora linguæ
Intendens, trepidas ab ſtyge ſeruat oues.
Et præ ſe agmen agens interritus, ordine longo
Ducit ad excelſi paſcua tuta Poli.
Non ſecus Alcides immania terga Leoni
Extrahit, & rabido ſeruat ab ore pecus.

Symbolum XXIX.

AQVILA Teſtudinem in altum leuatam demittit in ſubiectum lapidem. Lemma, VTILIS DIFFRACTA.

In S.Herculani caſum fructuoſum,

Epigramma XLVI.

TArdigradam teſtam tollit Iouis ales in altũ,
Mirantem, quod tam ſegnis ad aſtra volet.

Mox in subiectum demittit ab aëre saxum ;
Et viuam fracto cortice cruda vorat .
Integra non fuerat vescendo futura . cadendo
Dissilit, & suauis carpitur ore cibus .
Tu partim similis Pater es : quia dũ cadis, ingẽs
Protinus exemplum turba sequuta tuum est .
Partim dissimilis : quoniam tu stansq; cadensq;
Fructus progignis tempus in omne pares .

Symbolum XXX.

ROmanus Consul in quadrigis conspicuus triumphat. Lemma, BREVE PROELIVM, PALMA AETERNA.

In S. Herculani Triumphum,

Epigramma XLVII.

MArtyrij palmã Perusinus Præsul adeptus,
Laurente in templo laurea serta capit.
Inde triumphali tectus diademate frontem,
Ecce redit patriam nunc habitare domum.
Non aliter fracto rediens ex hoste Quirinus,
In Capitolina Laureus arce stetit.
Inde per ornatam pretiosis arcubus vrbem
Incedens, rursus tecta paterna colit.

Sym-

Symbolum XXXI.

CAndens columba ceteras sodales ad Domini sui escam pellicere studet. Lemma, CAPTIVITAS OPTANDA.

De S.Herculano animas Deo lucrante,

Epigramma XLVIII.

PAstorem Deus Herculeum demisit ab alto,
Duceret vt multos ad sua rura greges.
Aspice candentes animas, ipsumq; parentem
Ante alios celeri surgere ad Astra gradu.
Sic auceps niueam demittit in arua columbam.
Cum volucrum magno post redit illa choro.

Symbolum XXXII.

PIscator hamo hærentem pisciculum in aquas demittit, vt grandem piscem spe cibi allectum capiat. Lemma, QVAESTVOSA IACTVRA.

In S. Herculani Martyrium,

Epigramma XLIX.

NON fallis me, sancte Pater, quæ causa volētē
Atq; hilari iubeat fronte subire necem.

Præmia larga vides, omnes mansura per annos,
Quæ tibi siderea monstrat ab arce Deus.
Et fragile, infirmum, breue donas atq; caducum,
Vt tibi perpetuæ mox referantur opes.
Astute. Sic sponte iacit Piscator Aliscam,
Cui magnus pretium Lucius esse queat.

Symbolum XXXIII.

PAradisi ianua humilis & depressa: prope quã S.Herculanus genuflexit capite rescisso. Lemma, SICVT PARVVLVS.

In S. Herculanum capite truncatum,

Epigramma L.

OStiolũ Cæli exiguũ nimis esse putãdum est.
Vt intret Herculanus en posuit caput.

Symbolum XXXIV.

ARCA lapidea, intra quam arcula erat insigniter decora cum reliquijs sanctis. Lemma HIC HABITABO, QVONIAM ELEGI EAM.

In S. Herculani Translationem,

Epigramma LI.

IAM Petrus et Laurens; nunc te tua condidit (Arca.
Hospes eras: propriã nunc colis ipse domum.

Sym-

Symbolum XXXV.

SANCTVS Herculanus districto gladio stat in ipso aditu Ciuitatis. Lemma, ADVERSVS PRINCIPES TENEBRARVM.

In reditum S.Herculani ad antiquam domum,

Epigramma LII.

Primus in Augusto consedit limine Præsul,
Excubiasq; agitat mœnibus ipse suis.
Nam quando externos arceret Bubalus hostes,
Par erat internis clauderet iste viam.

Symbolum XXXVI.

S. Præsulis corpus gladio confossum, late sanguinem fundit, & tanquam iugis vnda Ecclesiæ suæ plantulas rigat. Lemma, AQVA SALVTARI POTAVIT EOS.

In S.Herculani vulnera duplicata,

Epigramma LIII.

Non satis est Totilæ caput Herculis obtrun-(casse,
Dilacerari etiam corpora sacra iubet.

Quid

Quid tamen effecit? Repetito a vulnere sanguis
En nostra exundans largius arua rigat.

Symbolum XXXVII.

SOL totam illuminat Lunam, ex terræ vmbra dudum foras egressam. Lemma, TOTA PVLCHRA ES.

In S.Herculani reditum ad propriam Aedem,

Epigramma LIV.

QVAM Pater Herculeam decorarat Nau-
Et vectigali fouerat vsq; suo: (plius Aedē,
Illa vel argento quamquam fulgeret & auro,
Nunc tandē pulchra est cū suus hospes adest.
Non aliter referens ab Apolline Cynthia lumen
Pulchra est; non referens, turpis & ægra silet.

Symbolum XXXVIII.

ELephas viatorem per deserta incerto gradu vagantem, dux factus comiter in viam reducit. Lemma, DONEC IN TVTVM.

De

De S.Herculano ſuos ducente ad Cęlū.

Epigramma LV. *(tē*

HErculeus Paſtor per inhoſpita teſqua vagā-
Dum videt in præceps currere ſpōte gregē:
Accurrit miſerans,& greſſu ad amœna retorto,
In læta errantes paſcua ducit oues.
Mox ille in Cælum recto ſe tramite confert,
Oſtenditq;gregi per ſupera alta viam.
Sic Elephas vaſtis in montibus ante repertum
Incolumem propria ſiſtit in æde virum.

IN

IN EANDEM TRANSLATIONEM EPIGRAMMATA SINE SYMBOLIS.

Conuictores Secũdæ Clasſis.

In reditum S. Herculani ad proprias Aedes.

Epigramma LVI.

ECcleſiam in magnam Præſul magnamq; ſub Arã
Contulerat ſacras corporis exuuias.
Nunc parat ad patrios donũ transferre Penates,
Deq; ſua quondam ſurgere victor humo.
Non aliter validos qui ferro contudit hoſtes,
Et ſpolia in patriam ductor opima tulit:
In maiore ſibi ſtationem deſtinat Arce,
Conſpicuus late ciuibus vſque ſuis.
Aſt vbi plus nimio luces expleuit euntum,
Reſtituit domui ſe pius ipſe ſuæ.

Ad S. Herculanum Martyrem mortales Cælos inducentem.

Epigramma LVI.

DIcitur Alcides ſpoliaſſe Latronibus *Orbem,*
Et læto immanes vſq; dediſſe viros.

At

At tú quid simile Antistes? non opprimis hydram,
Non lanias vrsos, nullaq; monstra domas.
Imo ego (si verbis audacia detur) eumdem
Te fors latronum de numero esse putem.
Nam quis maiores euexit ad Aethera prædas?
Aut fructu ditat vberiore Polos?

In S. Herculani corpus intactum, Templum refectum,

Epigramma LVIII.

N*ON decuit castos putrescere Præsulis artus,*
Et decuit collo sponte redire caput.
Integer ille animus, quid non integra teneret
Membra? sub integram post referenda domũ?

Ad S. Herculanum primum feris bestijs obiectum,

Epigramma LIX.

N*ON equidẽ trepidos miror metuisse Leones*
Tecum Herculane congredi.
Nam quia spectarant nec fuste, nec ense, nec igne
Fortia moueri pectora;
Sed potius fessos te contundendo latrones
Cessisse lateribus tuis:
Non ausi dubio tecum contendere Marte
Victoriam cedunt tibi.

Ad

Ad S.Herculanum e muris præcipitem datum,

Epigramma LX.

CVM tua sũt alto in præceps data corpora mu
Et late immaduit ſanguine terra tuo:(ro,
Ingens eſt animo pietas exorcta videntum ;
Ingens eſt Cælo miſſa caterua virûm .
Quam felix es planta Pater *! ſi ruſticus ex te*
Fructum decerpit ſtante , cadente parem !

In S.Herculani reſciſsum caput, ille loquitur,

Epigramma LXI.

IN iugulum librata meum funeſta ſecuris
Me dudum in partes ſcindere viſa duas .
Sic inquam viſa eſt : ſedenim non diſcidit : imo
Coniunxit capiti me magis illa meo .
Nam caput eſt Chriſtus noſtrũ.caput ergo ſecãdũ
Id fuit , vt proprium iungeret ille caput .

In S. Herculani pretioſam mortem,

Epigramma LXII.

TEmpora multiplici Cuſtos Auguſte corona
Ornatus,& ſplendens palam ,

(Nam

(Nam pius, & conſtans, & fortis, & integer idē
Omnem per ætatem eluis)
Par erat, vt dignum tanta virtute triumphum,
Tantiſq; dotibus parem,
Aſſequereris ouans. Nunc belle purpura candet;
Belleq; candor purpurat.

In S.Herculani Translationem,

Epigramma LXIII.

CVM pōpa & plauſu veterē trāsfertur in Ae-
Et noua cū populo gaudia Præſul agit.(dē,
Non eſt mirandum. cupido Dux corde reuiſit
Illum, vbi patrarit fortia facta, locum.

S. Conſtantius D. Neapolionem Epiſcopū alloquitur.

Epigramma LXIV.

PER te Benuenias patriā trāsfertur in Vrbē;
Per te Herculanus Vrbis occupat fores.
Iure. ſuos inter ciues verſabitur ille:
Hic excubabit creditum ſuper gregem.
At me Paſtorem, me Auguſta Peruſia Ciuem
Habuit eundem. cur tot annos exulo?
Nauplio te noſtri potius meminiſſe decebat:
Peruſia cum ciuis & Paſtor ſies.

IN TRANSLATIONEM S.HERCVLANI MARTYRIS ET EPSICOPI PERVSIAE,

Symbola, vel Emblemata cum Epigrammatis;

Conuictores Tertiæ Claſſis.

Symbolum XXXIX.

HErcules cum Hydra Lernæa, ſerpentes vibrante, ac identidem multiplicante congreditur. Lemma, SANGVINE FOETA SVO.

Magni Herculis & S.Herculani comparatio,

Epigramma LXVII.

SI vetus Alcides igens eſt nomen adeptus,
Cui ſeptem capitum beſtia cæſa cadit:
Tu nouus Alcides quanto maiora mereris,
Cui fera ſummiſit cornua mille Sathan?

Sym-

Symbolum XL.

PHœnix iam senior lapidi acuto pectus illidens, large sanguinem emittit, ex quo nouus regignitur Phœnix. Lemma, SE PERIMIT, VT VIVAT.

De duobus SS. Herculanis,

Epigramma LXVI.

COnsumptus senio rūpit sua pectora Phœnix,
Et nouus ex tepido sanguine surgit auās.
Martyr primus obit, fluit alto a vulnere sāguis,
Ex illo ô Martyr vita secunde tua est.

Symbolum XLI.

IGNIS alte, atque ampliter exardescit, quo cōspecto, in fugam vertitur æstuans Leo. Lemma, MAIOR FACILE MINOREM.

De S. Herculano primo inter Leones,

Epigramma LXVII.

QVI pectus nulli didicit summittere telo,
Omniaque impauidus despicit arma Leo:
Huic si feruenti feruens opponitur ignis,
Attonitus fertur retro mouere pedem.

I Cor

Cor tibi diuino Martyr cum flagret amore,
Et late exundans pectora flamma cremet:
Non miror, trepidos conuertere terga Leones.
Non potis est tantas bestia ferre faces.

Symbolum XLII.

HErcules clypeum præfert, multis perfossũ atque confixum sagittis; ex aduerso Centaurus moribundus vna tantum hasta transuerberatus occumbit. Lemma, MEA CERTIOR VNA.

In certamen S. Herculani, & Sathanæ,

Epigramma LXIII.

QVid refert, quot in Alcidē Cētaure sagittas
Miseris, Alcidem si tua nulla ferit?
At non ille vnam vacuas emisit in auras,
Ecce tuum fodit prima retorta latus.
Mille super frustra consumpsit spicula Sathan:
At non frustra vnum mittitur Herculeum.

Symbolum XLIII.

LVpus agnis laniatis atque discerptis, superbus cum Leone congrediens interficitur. Lemma, IMBELLIS ADVERSVS PAREM.

In

In Totilam à Narſete ſuperatum,

Epigramma LXIX.

HErculea Totilas rediens a cæde ſuperbus,
Narſetis incurrit manum.
Et pœnas ſcelerum cunctorum cum daret hoſti,
Dixiſſe narratur gemens:
Heu non Cantherius (mendax eſt fama) peremit,
Sed maſculus Lupum Leo.

Symbolum XLIV.

FAX ingens, ventis extinguere conantibus, incendium latius diffundit. Lemma, AGITATA INCLARESCIT.

In S.Herculani ardentem charitatem,

Epigramma LXX.

DVM tædas agitat Boreas, & flamine largo
Impetit, en maius fertur ad aſtra iubar.
Non ſecus Herculeã flammã ciet hoſtis, & vltro
Quam cupit extingui ſuſcitat ipſe facem.

Symbolum XLV.

AVceps cardueli succensens, caueam deijcit in terram. qua confracta, carduelis liber auolat. Lemma, OPTANDVM EXILIVM.

De S. Herculano capite truncato ad Totilam,

Epigramma LXXI.

IMPIE quid sæuam libras in colla securim,
Et quod vereri decuit abscindis caput?
Nec tu illi (quod rere) affers dãnumue, malumue:
Damnum, malumque stultus importas tibi.
Nam tu illum cæco dum carcere soluis in auras:
Tu densiores orbus in tenebras ruis.
Sic auceps vlturus auem, dum vimina frangit
Iratus, hostem liberat, perdit lucrum.

Symbolum XLVI.

TVRRIS præalta stat, in cuius vertice Gryphus excubat, in aditu autem & vestibulo Herculeus Leo. Lẽma, ΑΝΩ ΚΑΙ ΚΑΤΩ.

Ad Perusiam de duplici sui custodia,

Epigramma LXXII.

CVM tua defendat volucrũ rex mœnia Gryphus,
Non est infaustas quod verearis aues.

Et

Et tua rex pecudum quoniam Leo limina seruat,
A rabidis tuta es gens Perusina feris.

Symbolum XLVII.

AGrestis venator candidam Columbam frustra iaculo petit. libera illa in Cęlum euolat: hic vipereo dente furtim appetitus occumbit. Lemma, PVNITA IMPIETAS.

Narses Eunuchus Regem Totilam interemit.

Epigramma LXXIIII.

DVM frustra sperat niueam fixisse Columbã
Punctus vipereo rusticus ore cadit.
Credidit Herculeum Totilas extinxe Parentem,
Qui declinato vulnere in Astra fugit.
Ipse sed Eunucho Firmana per arua furenti,
Fraxineo tergum fulmine fossus obit.

Symbolum XLVIII.

LEæna ingenti rugitu ex se recens natos, & somno alto consopitos excitat,& quodam modo ad vitam vocat. Lemma, ITERVM PARTVRIO MEOS.

De S.Herculano concionante,

Epigramma LXXIV.

DVM Præsul moriens alto tonat ore Tonãtẽ,
Et mox cadentis verberat Cælum fragor:
Excita post longum proles Augusta veternum,
Supplex frequentes fundit ad Numen preces,
Pastoremque, Patre mque suũ supera alta petẽtẽ
Gestit per ignes atque per ferrum sequi.
Sic fato functis, feriens mugi tibus auras,
Vitam referre creditur catulis Lea.

Symbolum XLIX.

PHœnix rediuiuus inter ardentes flammas.
Lemma, ROGVS IN CVNAS.

S.Herculanus Maior ex igne valentior emergit.

Epigramma LXXV.

TRuditur heu candens nudata sub Ilia ferrũ.
Et lacera innumero verbere mẽbra premit.
Mẽbra premit mulcẽs, corpusq; refrigerat ignis,
Ingenium iussus non meminisse suum.
Sic Pater vrenti robustior exit ab æstu,
Et qua debuerat perdere, flamma fouet.

Qualis

Qualis odorato ſic funere carpitur Ales,
Vt noua flagranti vita ſit ipſe rogus.

Symbolum L.

VEnator Aquilam iaculo transfigit, ſe offerentem, & pro ſuis pullis fortiter ac pie morientem. Lemma, ME ME: ADSVM, QVAE FECI.

In S. Herculani promptum animum moriendi pro ſuis,

Epigramma LXXVI.

BArbarus Auguſtã cũ truderet agmẽ in Vrbẽ,
Laturus captis mœnibus excidium:
Obtulit in primo ſe limine Paſtor, vt in ſe
Dum furit, Auguſto parceret ira gregi.
Sed nimis arma calent, nimis eſt & barbarus hoſtis.
Vno mactantur funere Paſtor, oues.
Sic cunas ſeruare ſuas dum nititur Ales,
Cum tenero rapitur pignore fœta parens.

Symbolum LI.

HOrologium ponderibus vtrinque ſuſpenſis circumactum, malleo adacto, ſonitum ciet. Lemma, PONDVS EXCITAT CANTVM.

In famam S. Herculani propagatam,

Epigramma LXXVII.

MVta silet, certas nec machina diuidit horas
Si nõ hinc, atq; hinc põdera bina premũt.
Si longe audita est Perusini fama Parentis,
Non mirum : excelsa pondus ab arce cadit.

Symbolum LII.

ELephas consternatus terga conuertit, conspecta scropha. Lemma, A TVRPITVDINE, NON A ROBORE.

De S.Herculano libidinẽ detestante,

Epigramma LXXVIII.

QVod Præsul Venerem sic exhorreret, vt olim
Non ipsum auderet tollere lumen humo :
Si quis miratur, non ille pericula nouit;
Queis Amor incautos fallere sæpe solet.
Symbola certa rei credunt Elephanta docere,
Quem non deterrent cetera; Porca fugat.

Symbolum LIII.

LVcifer Solẽ modico interuallo anteueniẽs, & Hesperus post-veniens. Lemma, NVNC ANTE, NVNC POST.

De

De S. Herculano Pastore,

Epigramma LXXX.

CVM sacras scãdẽs procederet agmẽ ad Aedes,
Tunc solitus Pastor post pecus ire suũ est.
At cum Cælestes foret ingressurus in Aedes;
Anteit, atque suum post iubet ire gregem.
Phosphorus haud aliter præcurrit Apollinis or-
Axe sed emenso hic post venit, ille prait. (tũ,

IN EANDEM TRANSLATIONEM EPIGRAMMATA SINE SYMBOLIS.

Conuictores Tertiæ Classis.

De S.Herculano Pastore, Epigramma LXXX.

QVID Sanctũ miramur oues ex ore latronũ
Ereptas Domino reddere? Pastor erat.

Ad Perusiam de duobus SS.Herculanis, Epigramma LXXXI.

NON est, quod totũ metuas Augusta per an-
Ne quis latro tuas depopuletur opes.(nũ,
Vsque sub Herculibus stant mœnia tuta duobus:
Tempora Tutori sunt data certa suo.
Illius imperium septena luce Nouembris
Incipit, hinc toto te fouet ille gelu.

Alterius

Alterius curam Mars excipit; inde per æstum,
Atque per Autumni tempora ſoſpes eris.

Comparatio Herculis, & S.Herculani;

Epigramma LXXXII.

HOrrenda monſtra ſemper Hercules forti
Aggreſſus extinxit manu.
Et inde nomen inclitum ſibi quærens,
Ad poſteros ingens cluit.
Itinere non hoc tendit Hercules alter,
Qui mœnibus noſtris praeſt.
Portenta namq; multa corporum tabe
Immaniter languentia
In priſtinum reſtituit, & ſuum robur,
Vrbique ciues reddidit.
Quanto ergo maius diceres opus, vitam
Seruarier, quam perdier;
Tanto Herculanus Herculi ſuperſtabit
Honeſtior, generoſior.

In S.Herculani corpus incorruptum,

Epigramma LXXXIII.

TAbidus è tumulo cũ Præſide ducitur Infãs;
Et non infecit corpora ſacra lues.

Sic

Sic ſine noxa olim, vitiato ſidere, Cælum
Quamlibet impurum pura Columba bibit.

In Puerum à morte ſuſcitatum,

Epigramma LXXXV.

HEſione rabido mox obtrudenda Draconi,
Herculis inuicto robore tuta fuit.
Herculis at noſtri non paulo eſt gloria maior,
Hunc rapuit, qui iam præda Draconis erat.

In Puerum à S.Herculano vitæ redditum,

Epigramma LXXXVI.

HErculeo lateri qui mortuus hæſerat infans,
In lucem Stygio viuus ab amne redit.
Non decuit iuxta vitam, vitæq; miniſtrum
Qui iaceat, Mortis vincula longa pati.

S.Herculani, & Herculis comparatio.

Epigramma LXXXVII.

SVNT quædã Herculibus cõmunia facta duo-
Sũt vtriuſq;propria pariter & ſua. (bus,
Ille olim monſtris purgauit turpibus Orbem:
Et hic nefandam ſuſtulit ſcelerum luem.

Sed

Sed ratio, ſed cauſa, ſed inſtrumenta fuere
Diuerſa forti Argiuo, & Auguſto Patri.
Ille rotans clauam crudeles deijcit hoſtes:
Hic monſtra verbis dura lenibus domat.
Ille ſuas quærebat opes, ſua commoda: Paſtor
Hic noſter vſque gregibus inuigilat ſuis.
Denique per cædes mortalibus ille premendis,
Hic ſuſcitandis mortuis Mundum beat.

De S.Herculano primo ferocibus beſtijs obiecto,

Epigramma LXXXVIII.

OBijcitur Tygri Præſul laniandus, & Vrſæ,
Sed parcunt Sãcto Tygris, & Vrſa Viro.
Nec parcunt ſolum, ſed eum reuerenter adorãt,
Curuato inuicti ſub Ducis *ora genu.*
Nimirum flentes veniam tortoribus ipſis,
Non ſibi dumtaxat poſcere velle putes.

Ad caput S.Herculani reconiunctum corpori,

Epigramma LXXXIX.

HErculeum ſæuo Præſes caput abſcidit enſe,
Abſciſſum repetit ſed ſua colla caput:
Eſt magnum, eſt rarũ, ſed enim mirabile non eſt,
Si Dominus *reddit, qui dedit ante caput.*

In S. Herculani mirificam humanitatẽ,

Epigramma IXC.

HErculea ſub luce togam confecit, eamque
Mox ſuper impoſuit tergo, humeroq; puer.
Nec mora: corripiunt ardẽtes corpora flammas,
Vt ſi Neſſeo tacta cruore forent.
Implorat gemebundus opem. ſuccurrit ab alto
Qui puerum vlciſci debuit Heraclides.

In Tyrannorum crudelitatem,

Epigramma XC.

QVod truculẽtus Aper, Taurus, Leo, Tygris, (& Vrſus
Procũberent ad Præſulis nudos pedes;
Res eſt mira quidẽ, ſed nõ minus altera mira eſt,
Sæuire quod Romanus hic poteſt tamen.
Exuerant fortaſſe feram Leo, Tygris, & Vrſus,
Et impius Tyrannus induerat feram.

In S. Herculani primi Martyrium,

Epigramma XCI.

DEmulcent Patrẽ Tygris, Leo: perfodit enſis.
Cur nocuit ferrum, non nocuere feræ?

Cre-

Crediderim, quia dextra feras diuina regebat:
Ferrum mortales intro-tulere manus.

In S.Herculani conciones ad populum,

Epigramma XCII.

CVR Monachos inter tã multos vixerit ãnos,
Et populum tardo rexerit ore Pater:
Quæritur à multis. Vera hæc mihi causa videtur,
Vt similis Domino degeret ille suo.
Nam Dominus triginta ipsos prius egerat ãnos,
Quam Populos cœpit voce docere palam.

In S.Herculanum Dęmones fugantem,

Epigramma XCIII.

ENse renascẽtis cum colla excinderet Hydræ,
Tandem per ignes Hercules mõstrũ necat.
Non aliter stygios Præsul cum pelleret hostes,
Et multiplex rediret hostium cohors:
Corde bibens alias ex Diuum fonte fauillas,
Omnem repente trusit Infernam luem.

De

Ad S. Petrum Abbatem,

Epigramma XCVII.

LApsura, & grandem secum tractura ruinā,
Sistitur ad signū, Petre, Colūna Crucis.
Res inter tres gesta Petras. nam nouimus ipsum
Esse Petram Christū: tu Petrus, illa Petra est.

Ad eundem de eodem Miraculo,

Epigramma XCVIII.

AEre dum vacuo pendens librata resistit,
Obiectam metuens, Petre, Colūna Crucē;
Per Lapidem à Lapide hūc Lapidē scio stare coa-
Nā lapis est Christus, tu lapis, illa lapis. (ctū.

Ad Sanctum Benueniatem,

Epigramma IXC.

NON ego Benuenias āplissima munera posca.
Sat mihi si nomen dixeris ipse tuum.
Imo ego Benuenias dona omnia consequar, vnū
Audio si nomen, te referente, tuum.

De S. Benueniate,

Epigramma C.

RVRE *suburbano patriā regressus ad Vrbē*
Accola Benuenias,
Intra Laurens hospitium, pictumq; sacellum,
Quod pius exhibuit
Saluucius; cum se ferret, limenq; verendum
Ingrederetur ouans:
Salue ô Saluuci, dixit. Saluucius *illi,*
Tu quoq; Benuenias.
Audijt Omnipotens *omen, dexterque probauit,*
Purus ab Axe *tonans.*
VT quicumq; nouum venit exorare Patronum,
Salueat, *& sapiat.*

Epistola

Epiſtola

Ad ingenuum Ludimagiſtrum, pre quam illi oſtenditur, qua ratione noſtri Adoleſcentes Epigrammata meditari, & argute concludere doceantur.

Amico intimo S.

PERGRATA tibi & periucunda ſcribis fuiſſe noſtrorum Adoleſcentium Epigrãmata, quæ nudius tertius in ferijs S. Nicolai, poſt ſolemnem Orationem iuſtumque Poëmatium, lecta ſunt de ſuggeſto. Verum ea ſubiungis vereri te: vereri autem? imo exploratum habere nequaquam eſſe illorum, ſub quorum nomine legebantur. ideoque ſubaccuſas aut iudicium noſtrum, ſi exiſtimauimus ea poſſe pueris attribui, quæ captum puerilem longe ſuperant; aut certe nouum genus ambitionis, ſi per ſpeciem latẽdi, ſtuduimus vulgo haberi laudatiores & notiores. Ego ſimpliciter ac vere tibi reſpondeo, id quod alij coram ex me non ſemel audierunt, credo etiam nobis ali-

cubi publice teſtatum, Carmina illiuſcemodi partim eſſe illorum ipſorum, quos pagina cantat; & partim noſtra. imo dixerim, partem maiorem ac magis præcipuam venire ab illis, minorem leuioremque a nobis. Illi ſcilicet, nobis mandantibus, & rationem docentibus, Sanctorum Vitas diligenter euoluunt, atq;inde facinora magis egregia, & ſimilitudines, & comparationes, & ſalſe dicta, & huiuſmodi aliquid inſignius, denique ſententias ipſas & argumenta epigrammatum decerpunt, veſtiuntque oratione interdum ſoluta, interdum adſtricta numeris, pro ingenij & eruditionis facultate. Hoc nimirum ſingulos conari, & quãtum in quoque ſit, præſtare ſemper iubemus. Quid nos autem adijcimus vel affingimus de noſtro? Primum nuda ipſa cognoſcimus argumenta, & conſideramus ſi quid addere, demere, mutare oporteat ad ſententiam explendam. deinde carmen corrigimus, diffingimus, reformamus, prout feſtinantibus, atque aliud agentibus venit in mentem. Illud ſane non negligenter curamus, vt argumentum ip-

ſum prius abſoluatur, ideſt habeat dimenſionem, ordinem, integritatem quandam ſuam, veluti materia optime diſpoſita ad formam mox recipiendam, priuſquam ſyllabæ ac pedes adhiberi a nobis incipiant. Neque hoc tantum in carmine pangendo (quamquam hic maxime) verum etiam in omni ſcriptione, vt Epiſtola, vt Elogio, vt Præfatione, vt alijs eiuſcemodi vetamus quicquam calamo exarare ac mittere in litteras, non antea excogitato, mente digeſto, ac ſummatim deſcripto argumento. meos autem Collegas iubeo prius reconcinnare atq; informare argumenta puerorum, quam ad verſus componendos animum conferant, aut calamum admoueant. Volo alterum atq; alterum huius inſtituti exemplum ſubijcere in his ipſis verſiculis, quos proxime cantauimus, tibi dilaudatis. Venere ad me tres pueri de noſtratibus ad oſtendenda, quæ collegerant ac meditati erant, argumenta epigrammatum. & alter quidem, Lego inquit, in vita S. Nicolai hoc inſigne ac plane nouum, quod ille cum Epi-

ſcopus eſt factus, non ſolum retinuit, ſed etiam auxit illam animi demiſſionem, quam Chriſtiani Doctores Humilitatem nominant, atque habent præcipuam inter virtutes. Cupio igitur hoc dicere meũ epigramma, S. Nicolaum longe diſſimilem fuiſſe Prælatorum non nullorum noſtri temporis, in quibus fere augetur cum dignitate ſuperbia & faſtus. Huic ego Lepide, inquam, & vere. Sed ad ſententiam rotundandam, verſuſque aculeo aliquo muniendos; cauſam ſubiungere aliquam oportet, vnde hoc accidere videatur. Mox paululum meditatus, Hanc ſcribe, inquam, in primis probatam, puto & veram: nempe quia S. Nicolaus nihil eiuſmodi cogitans, non expetens quidẽ certe, a Domino fuit euocatus, tamquam Aaron ad Sacerdotium, ad Prælulatum. noſtrates autem plerique ſponte ambiunt, vel obſequio, precibus, muneribus extorquent. Ita ergo ſtatim dictauimus epigramma.

De

De S.Nicolao ad Episcopatum assumpto.

QVanto est mortales excelsior inter honestos,
Tam se Nicoleos subijcit ante Deum.
Cur aliqui contra efficiunt? altoque potiti
Forte Sacerdotio, se super astra ferunt?
Credo, quod hic renuēs, ab Rege vocatur honori
Sumere: contra illi non cupiunt, sed emunt.

Ecce alter cum altero argumēto pariter imperfecto, aut certe minus aculeato. Quemadmodum inquit, Arion in mare demersus, a Delphine sustollitur, atq; in tutum exportatur: ita S. Nicolaus tres illas virgines a parente ipso coactas turpem vitam instituere, præseruauit, ac legitimo matrimonio cum honestis viris iungendas curauit. Huic ego, cum scirem cantu Arionis excitum Delphinem, & Nicolaum fletu puellarum cucurrisse ad opem ferendam; ita diffinxi, & conclusi epigramma.

De S.Nicolao virgines tuente.

IN mare mergendus cytharā dū pulsat Arion,
En sublaturus tergore vector adest.
In scelera & sordes tractis a patre puellis,
Flentibus optatam fert Nicolaus opem.
Diuersa ex causa finem miramur eundem.
Ille animam debet cantibus, hæ lacrymis.

Tertius his accessit cum valde apta, sed sæpius decantata imagine Gygantis. qui quidem vt puero laboranti porrigat dexteram, necesse habet se demittere, ac quodammodo pariter puerum efficere. Sic noster Dominus ad hominem redimendum, homo est factus, formam serui accipiens, a sua regali & immensa infinito spatio distantem. quam ego comparationem inuerti per contrarium hoc pacto.

In Sacrosanctam Redemptoris Natiuitatem.

VT rite angustos hominū sibi vestiat artus,
Tantulus ex tāto stat Deus, & fit Homo.

Sic puero laturus opem, dextramque daturus,
Contrahit atq; arctat grādia membra Gygas.
Imo adeo haud tantū Dominus decrescere, quātū
Se Domino adiungēs crescere visus homo est.

Intelligis iam; sicut opinor, quæ duo maxime cupiebas, quæque claudens epistolam expressius petebas: idest primum ecquidnam aut quantū de suo conferant nostri adolescentes ad epigramma (vt sic dixerim) fabricandum & construendum: deinde quem nos ordinem, & progressum, & rationem tenere soleamus ad nostros Auditores in hoc genere docendos, atque in hac exercitatione studioque continendos. Quod si non nulli haud ita multum proficiunt in Poëticis, quæ studia scis natura potius, quam arte constare: tamen ad singulos generatim duplex commodum peruenire necesse est: alterum, vt de aliorum versiculis poëticisque scriptionibus iudicium ferre possint; alterum; vt saltem lectitandis Sanctorum vitis; quasi aliud agentes multa discant, quæ ad sacram historiam, quæ ad moralem disciplinam; quæ ad vitam Christianam insigniter expediunt. Vale.

M. Ant.

M. Ant. Bonciarii NEOPSYCHIA, vel SERAPHIDOS Libri Tres.

AD ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. S. R. E. CARDINALEM CAESAREM BARONIVM.

Præfatio.

ERANT causæ pariter multæ, pariter graues, cùr hunc fœtum tibi dicarem, Baroni Cardinalis Illustrissime: inter ceteras, vel ante ceteras hæ potissimũ quattuor, Quod me non semel & verbo, & litteris ad hoc studium es adhortatus; quod Votum meum ad D. Virginem Lauretanam non testimonio solum, sed etiam prædicatione tua dignum censueris; quod Antistes Comitolus in te adoptando ita mecum consenserit, vt vtri nostrum in mentem prior veneris,

nec

nec mihi liqueat, nec illi; denique id quod ego ſpectandum in primis arbitror dedicanti, quod te ſciebam erga Sanctiſsimam Dei Matrem, & Seraphicum hunc Heroëm præcipuo quodam ac ſingulari ſtudio eſſe propẽſum. Et hæc quidem ad hunc modum mihi aſſumpta & diſcreta fuiſſe, non diffiteor. ceterum alia quędam ratio & cauſa me magis impulit ad te appellandum, petendumq; recentibus quaſi liberis patrocinium tuum. Habeo in manibus, quod tecum pridem communicaui, Parthenida, ſiue Triumphum Virginis, magnarum opus vigiliarum. quippe quod ad verſuum decem millia, & eo amplius excurſurum mihi videtur; quantum quidem ex toto ædificio, cuius formam atq; imaginem dimenſam animo habeo, licet capere coniecturam. cõfectos enim de libris quindecim tantum habeo tres priores, & extra ordinem quinctum: nec eos quidem ſatis limatos aut politos. Nunc pleriq; amicorum me iubent in vnam eam curam totum incumbere, vt primo quoq; tempore abſoluam Canticum illud grauiſsimum; & hęc interim vetant prælude re poëmata leuiora. cauſas afferunt conſilij

ſui

ſui duas,primum amplitudinem operis,quam vix decēnium implere poſſe videatur, deinde anguſtias vitæ,homini ſemimortuo, & ſic affecto magis timendas.Inepti! qui alumnos & cultores Muſarum exiſtimant poſſe aliorum arbitrio canere,qui non poſſunt ſuo. ceteros enim ſcriptores facile inducas ad ea meditanda & mittenda in litteras, quæ amicus rogat, aut Princeps iubet, aut quæſtus inuitat: Poëtis furor tantum & Phœbus imperant.

Sed ego cum horum in numerum venire non poſſim,tuo me ſum tutatus exemplo,Cardinalis ſapiētiſſime,qui totos quattuor & viginti annos natu maior, quam ego ſim, & nō ſolum ætate ingraueſcente,ſed etiam magno negotiorum pondere fatigatus, intra illud vitæ ſpatium, quod ego ingreſſus adhuc nō ſum,rē multo magis laborioſam, & magis arduam,& magis lōgā feliciter abſoluiſti.vndecim dico Annaliū Eccleſiaſticorū grandia volumina, immortalitate digniſſima. Quod tantū opus ab vno aliquo potuiſſe confici,doctiſſimis quibuſq; incredibile videretur, niſi

hoc

hoc percrebuiſſet, quod certi auctores pro exploratο confirmant, affuiſſe tibi ſcribenti præcipuum ac peculiarem Deiparæ Virginis fauorem, quæ ſimul animos faceret, ſimul vires ſufficeret, ad tam graue munus aggrediendum & ſuſtinendum. neque interim tamen aliquid obſtitit, quo minus alia ſuſciperes, & ad finem perduceres argumenta operæ leuioris. tametſi autem ego dignus non ſum, cui Mater & Patrona omnium ſic indulgeat: ſpero tamen, cum adſit propitia omnibus, qui Cœlitum aliorum laudes canunt, non longe abfuturam ab eo, qui canit ſuas. præſertim ſi te habeam deprecatorem atque introductorem, Præſes integerrime, Vir humaniſſime, amicum illi tam intimum, & Patronum mihi tam liberalem. Quod ſi nihilominus mea me ſpes fruſtrabitur; & Deo ſic iubente, ad exitum prius vitæ, quam operis veniam; hoc me mouere quicquam non debet, ſi rem deſero inchoatam, quia me non animus deſerat, ſed anima. eſt enim contraria hominibus natura Cœleſtium: illi non debent operario vllum honorem aut gratiam, niſi

confectum

confectum opus aspiciant: hi vero etiam grata habent, & remunerant efficiendi voluntatem. Accedit, quod me mors melius & honestius occupatum offendere non potest; quam in pia prædicatione Sanctorũ. Imperator Vespasianus morti proximus, cuncta obibat regum munera; & rogatus a suis, vt lecto decũberet, ac sibi parceret; Non faciam, Quirites inquit, priuatorum est ista mollities, morientium in pluma: Regem stantem atq; agentem deficere par est. Sic ego dixerim: vtcunq; alij moriantur, Christianum Vatem, aut quasi vatem, mori conuenit canentem, & canentem diuinas laudes, te vero cantorem multo optimum, & peritissimum diu opto, & voueo superesse. In Augusta Perusia ex Collegio S. Bernardi Calendis Sextilibus.

M·AN-

M. ANTONII BONCIARII SERAPHIDOS.

Liber Primus.

FVLVII CORRADI Argumentum.

IN scelerũ genus õne genus mortale per omnẽ
Late Orbem ruere,& crebris immania prędis
Tartara ditari, queritur Franciscus, & ipsos
Poscit opem superos,insignibus horrida pœnis
Corpora discruciãs. Habitum Michaëlis & ora
Induitur, tentatq; virum subuertere Pluto
Blandiloquus,veræ speciem pietatis adumbrans.
Hinc molles epulas superis mentitur ab oris
Imperio se ferre Deûm, Queis vescier Heros
Dũ dubitat,sacratque:furẽs ruit hostis ad ũbras.

Candida Sextiles referens aurora Calendas,
Iam ferit Eoos radijs propioribus ignes,
Et sensim rutilo cogit discedere Cælo,
Si verum excubitor cantu prænunciat ales.

Quid

Quid potius mediter, precibus de more solutis
Cælicolum Regina tibi, quam carmine festum
Concelebrare diem? Lux optatissima Cœlum
Pandere festinat; donisque ingentibus omnem
Late Orbem ditare parat: si pectore casto,
Et scelerum vacuo puros ex æthere rores
Excipiat, postes gens ingressura beatos.
Muneris æterni causas, & pauperis Vmbri
Quæ decora immensum Cœlo traxere Tonantem
Siderea cum Matre, humilē sub Virginis Aedē;
Fas aperire mihi, & grates cantare perennes
Seraphidæ illustri. Quem nocte dieque ferentem
Omnigena pro gente preces, irataque duris
Numina supplicijs Mundo placare parantem,
Vt pius ex alto Sol est miratus Olympo,
Sic ferus ex imo Pluton inuidit Auerno,
Congressusq; dolis, cū clade repulsus in Orcū est.
Magnū opus aggredior, nostris et viribus impar;
Sed rapit in Superos pietas; fouet omine Cœlum.
Nec dare tu carmen Dea dedignabere; quando
Rem studio dignata tuo es. Quo tempore vastum
Tertius imperio frenabat Honorius Orbem,
Ille hominum Custos, & Præses Honorius alta,
Illustri, antiqua genitus de gente Sabella;
Ecclesiamq; nouis affectam cladibus, vna
Consilijs armisq; fouens, Augusta colebat
Mænia: Franciscus tenui generatus ab Vmbro,
Sed carus Superis, quorum reuerentior alter
Non fuit à prima nascentis origine Mundi,

(Fla-

(Flagrantem veteres apppellauere Seraphin)
Noctes atq; dies tendens ad sidera palmas,
Et vultum largo imbre rigãs; pia Numina tali
Voce fatigabat: Deus optime maxime; cernis
Quãtum tartareas hominũ raptetur ad vmbras,
Ingratorũ hominũ! tua quos (horresco retractãs)
Mors a morte rapit, tuus ô mitissime sanguis
Eluit impuros, & crudo ex hoste redemit.
Nec satis hoc: aditum reseras, æternaq; pandis
Ostia, quæ veterum clausit fæcunda parentum
Culpa olim; duroq; fores adamante reuinxit.
Et tamen Adamidæ, tamquam si nulla tulissent
Dona Polo, tamquam meritis obnoxia nullis (no
Gẽs hominũ tibi Christe foret, tua sacra propha-
Incestant ritu, labijs audacibus hymnos,
Diuinasq; tonant laudes, cum pectora Diuis
Intima nulla vacent, stygio possessa tyranno.
Hinc variæ scelerum facies. hunc fœda libido
In transuersa rapit; titulis illustribus ille
Tangitur, & quocunq; fames impellit honorum,
Illò etiam fracta censet pietate ruendum.
Accessit, quæ sacra pijs longe arcuit aris,
Inferni monstrosa lues, auidissima semper,
Et semper ieiuna; opibus non diuitis Aemi,
Non vndis satianda Tagi, vasta illa Charybdis,
Ingluuiesq; immensa auri, quæ iura fidemq;
Dedocuit mortale genus, terrasq; per omnes
Imperium Stygio suasit conferre tyranno,
Et colere impurum sancto pro Numine Ditem.

Quid querar exemptos, sub iniquo iudice, pœnis
Supplicioq; reos? quid reddita sontibus arma,
Et circumuentos patronum fraude clientes?
Quid quod ab infandis non ipsæ cædibus absunt
Aedes, Christe, tuæ? scelerum quid nomina mille,
Mille loquar pereundi artes? Gens omnis eòdem
Labitur in præceps: recto qui tramite tendat
Heu non est hominum multis de millibus vnus.
Et quamquam æternas tanto pro crimine, tanta
Pro scelerum turba pœnas meruisse, fatĕdum est,
Omnem late Orbĕ: seu mergere rursus in vndas,
Seu morbis abolere paras, aut vindice flamma:
Attamen, ò supreme hominum, supreme Deorum
Arbiter, ò Cœli pariter fabricator, & Orbis,
Sed Pater & custos idem, lapsiq; ruinas
In melius rediméns, & nil exose tuorum;
Siste reluctantes etiam, perq; omne ruentes
Indomita ceruice nefas, vt docta ferocem (uit,
Læua reflectit equum, dum verbere dextera sæ-
Siue vtrimq; pedes fodiunt calcaribus armos,
Inuitumq; iubent rigidis parere lupatis.
Nec secus infantes, quorum (nisi fallor) imago
Gratior est tibi Christe Patri, cũ forte videmus,
Fulgentes auro gladios, celsamq; bipennem
Inbelli versare manu; flammasue nitentes
Appetere, & circa rudibus colludere palmis:
Currimus extemplo, ferrumq; ignemq; vetamus
Tãgere, nec precibus quicquã lacrymisue moue-
Clementer duri, meritas in tẽpore grates (mur

Hi

Hi referent ipsi, fuimus quis causa doloris.
Talem homini per te genito, per teq; redempto,
Imo etiam pro te, casum miseratus acerbum,
Ignarosq; animos praesta te mitis IESV.
Sponte tua fecisti omnes, imo omnia; nec te,
Vt faceres, vel sic faceres, orauimus ipsi.
Tam voluisse tuum est, quam confecisse. Moueri
Haud poteras precibus, quas nō admouerat vllus
Nunc nihil vt facias, tantum tuearis oportet,
Quod semel effectum est. Veniam cōcede loquuti
Ore Pater duro. Satius fortasse fuisset,
Si Caelo contenta suo, nihil indiga mundi,
Et nihil humanis intendens vsibus, ipsum
Non vomeret Mens alta chaos. quod sola sereno
Contemplans vultu clementia soluit, & almam
Discussis fudit tenebris in secula lucem.
Sin gigni melius fuit vniuersa: creares,
Atq; vtenda dares mortalibus ista. superna
Hoc satis indicium fuerit pietatis. At illud
O quantū est, quantum mortalia pectora, quātū
Caelestes etiam ciues, mentesq; beatas
Obruit, exundans aeterni flumen amoris!
Quod foedus rūpentē vltro, quod sponte rebellem,
Atq; hostem factum non indignaris, & eheu
Perpetuis mersum tenebris, & morte perenni
Damnatum, proprio mercaris sanguine, clemens
Crudelem; pius ingratum (quo deniq; maius
Nil agitare animo fas est) hominem Deus? Ast
Non redimi melius fuerat, sacroq; cruori (hunc

Parcere,si nolles & conseruare redemptum.
Ergone quod tanto steterit tibi,Tartarus vltro
Hauriet,atq;vno mercabitur asse Megæra?
Non ego me posthac vilem, paruoq; putabo
Pendēdum pretio,pretium cui sit Deus.Hoc me,
Sim licet immundo fabricatus corpora limo,
Naturam super extollit,Cœloq;reponit
Sidereis æqualem Animis.Ingentia iacto,
At non falsa Pater. possum maiora referre,
Ac nos Angelicis etiam præferre maniplis,
Si merces tua Christe sumus. Quare optime rerū
Cōditor,idē hominū reparator,& auctor IESV,
Ne nostras,ne sperne preces:seu nostra videntur
Crimina diuinam mouisse potentius iram,
Et veniæ transgressa modum;te respice saltem,
Proq;reis clades mortalibus exantlatas.
Ante tui fuimus,tua nos in luminis auras
Extulerit cum sponte manus.tum cœpimus esse
Bis tanto,postquam lapsos,& funere mersos
Obscuro releuas,reuehisq;in luminis auras.
Iā quota pars nostri superest,quā dicere nostrā,
Aut non Christe tuam liceat?Tibi viuimus vni,
Et morimur tibi Christe vni.quod poscimus ęquū
Vt sceleri infēsus nostro,quod iure negares,(est,
Ipse tibi clemens tribuas,nobisq; relictis
Turpibus,indignis,tantum tua munera serues,
Et partem tueare tuam.Quæ sæpe diurnis
Franciscus repetens horis,& nocte silenti
Sæpius;interea crudelibus ægra flagellis

Membra

Membra quatit, dũ lõga domãt ieiunia ventrẽ.
Et vigiles obeunt languentia lumina noctes.
Perfidus interea mundi frenator opaci,
Sanguineam dudum rabiem crudosq; furores
Corda sub ima coquẽs, immanes callidus vngues
Exuit, & torua truncans informia fronti
Cornua, longæuos iterum iuuenescere vultus
Imperat, & molli circum lanugine malas
Aspergens, habiles humeris accommodat alas.
Deniq; se talem compacto ex aëre fingit,
Qualem non falso gestauerat ante figuram,
Quã miser in præceps quõdã ruit æthere ab alto;
Præq; ferens iram, quam non odiumue furorue,
Sed placidus pinxisset amor; cum sidera Cœlo
Rara micant, astris fulgentior ille fugatis,
Hac se conspicuum clara cum voce precanti
Obtulit Vmbrigenæ. Clemens tua vota tuasq;
Intuitus Cœlo lacrymas, Francisce, supremus
Cœlicolũ Dominus, quantũ commendat amorẽ,
Affectusq; pios, tantum non approbat istam,
Quæ te plus nimio torquet, cruciatq; por omnem
Barbara durities vitam. Geminata rebelles
Flagra doment animos: auidum Ieiunia ventrẽ
Longa premant; per continuas Ignauia noctes
Coniunctosq; dies, operi cogatur inertes
Admouisse manus, duroq; intenta labori,
Vsq; renascentem domet irrequieta soporem.
At quæ vel nullos cieant in mente tumultus,
Vel tenui tantum nutu compressa quiescant

Corpora; quid diris oneras innoxia plagis?
Cur ea perpetuas cogis persoluere pœnas,
Suppliciumq; immane pati, quæ nulla recusant
Pondera? quæ mentem non obluctata sequuntur
Imperiumq; tuum? Non hæc moderatio, non hoc
Frenum: sæuitia est. Speciem virtutis adumbrat
Blanditurq; animo vitium lethale. Libido est,
Quam furor, & rabies intempestiua gubernant,
Non ratio frenat. Pietas inuisa Tonanti est,
Si comes abfuerit Prudentia. Iudicis iram
Non ferimus, quamuis ingentia crimina tollat.
Quid si forte bonum ciuem, nullaq; notatum
Labe virum cruciet? Cruciandũ ducimus illum,
Atq; feris pascendum auidis infame cadauer.
Iam qui se nullis horrentem sordibus ipsum,
Vel leuibus dicam culpis, tenuiq; parumper
Aspersum macula, ferro compescat & igne,
Tormentisq; domet nocturnis atq; diurnis;
Hic pius, hic iustus Francisce vocabitur? Atqui
Cum propior sit quisq; sibi, seseq; tueri
Debeat ante alios: scelerosior ille putandus,
Qui velut expurget commissa piacula, nullis
Aut leuibus causis, in se grassatur eumdem;
Quam qui iudicijs alios infamet iniquis.
An ne putas Francisce tuis gaudere Tonantem,
Supplicijs? meliora puta. mos iste sub Orco est,
Exultare malis, immortaliq; nocentum
Morte frui. pestis nimium Cœlo exulat alto
Infera, nec tangit mentes ea cura beatas.

Lata

Læta iuuant incepta Deum. te poscit amantem
Et te cultorem: ieiunia, flagra, dolores
Non amat ille tuos. Animo circumspice terram,
Qua locuples, qua frugifera est. discurre p̄ æquor
Vel late prægnans fœcunda prole, vel ipsas
Vrbibus adiungens vrbes, atq; Orbibus Orbes.
Tum sublime vola, & patriam cognosce volantū:
Aspicies, non solum animæ curare salutem,
Ad quam cuncta refert, mitem æternūq; Parētē;
Sed simul humanum varia condire laborem
Illecebra, & curam non neglexisse palati.
Quid censes etenim pecudes, quæ mollia carpunt
Gramina, vel liquido quas pascit in æquore Prote
Et quas ipse tibi flauo sub gurgite Thybris, (us,
Aut diues Thrasymenus alit, voluisse Tonantem
Largiri, & toto dispergere munera Mundo?
Quid nisi, mortales varijs vt pasceret escis,
Grataq; multiplici condiret fercula ritu?
Iam quia non omnis potuit ferre omnia tellus,
Et sentire omnes Dominus sua dona volebat,
O quos ipsa parat vobis natura sapores!
Nam cur tanta putas, Autumni frigore primo,
Agmina pennigerum, Borealibus incita flabris,
In vestras reuolare oras? his iunge cateruas
Indigenum, quascumq; domesticus educat vsus:
Et quas longinquis dudum portauit Eois,
Hesperiumq; pati docuit solertia Cœlum.
Adijce fœcunda pendentes arbore fœtus,
Quos ipsa ostentans, numerosaq; bracchia pādens

Porrigit,hortaturq;vltro decerpere;nec non
Prægnantes a matre vlmos,vitesq;maritas
Arctius alterno stringentes mutua nexu
Corpora,nectareos exudatura liquores.
Et quæ præterea sollers natura per omnes
Distribuit late populos,diuersa figuris,
Et miris discreta modis; tamen omnia vestram
Mulcere apta gulã. Cui credis homuncio *mẽsã*
Tam varijs extructam epulis posuisse Tonantem?
Non puto Spiritibus nobis,quos æthere in alto
Aspectu beat ille suo.quibus ergo? ferarum
Arbitror,& pecudũ gregibus, quos Cõditor idẽ
Aetheris,& mundi vestros eduxit in vsus,
Atq;homini seruire dedit. Quare vnus ad omnẽ
Discumbat conuiua dapem,mensasq;benignas,
Principis accitu,felix homo.vescier vni
Omnibus est concessum epulis,diciq; Deorum
Ille vnus conuiua potest.Age dixeris ergo
Illum tu memorem,gratum comemq; videri,
Ad cenam tanto qui ductus ab hospite, cenam
Vel primis gustare labris fastidiat? alto
Larga supercilio damnans dispendia mensæ?
Quæso quid hoc aliud,quam se præponere Cœlo,
Atq;æterna Dei consulta reuellere? Nam si
Vos Deus excussa vitam producere quercu,
Et satiare famem,brutarum more ferarum,
Incultis vellet dapibus;quid oportuit vltra
Gignere mulcendis tot condimenta palatis,
Et varias varijs donare saporibus escas?

Si

Si tantum gelidas puris a fontibus vndas
Vellet adhuc potare homines, quid vina iuberet
Antiquum reperire Noam? qui transditus oras
Hospes in Ausonias, vestris consedit in aruis,
Et vos mutato coluistis nomine Ianum.
Cõdidit ille vrbẽ flaui trans Thybridis vndas,
Ianigenamq; suo dixit de nomine gentem,
Quæ Perusina nouis est appellata colonis.
Hic pariter Valleianum, quod nomen & omen
Seruat adhuc, primus fœcundo palmite circum
Vestijt. hinc vitis per colles multa propinquos,
Multa per & campos, orno post nupsit & vlmo;
Quarũ vẽter adhuc prægnans, dulcissima gignit
Pignora, Romano non concessura falerno.
Cur igitur rere ista dari? cur tanta quotannis,
Et tam multa merum tibi torcularia sudant,
Si gliscens in ventre sitis, cum guttur adurit
Ignea, perpotis est suffocanda fluentis?
Ni Clasiũ fortasse putas, Teniamq; Thybrimq;
Coniunctis tumidos vndis, tantoq; fluentes
Agmine, non potuisse gulas explere bibaces,
Quamuis ter totidem Persarum millia Xerxes,
Et totidem Nilus, totidem misceret Idaspes,
Vel totum vestros se funderet Orbis in Vmbros.
Ergo age quę sũmis Dominus tibi mittit ab astris
Accipe dona libens, & cassum robore corpus,
Quasq; exhauserunt vacuas ieiunia vires,
Ambrosijs instaura epulis, puroq; benignus
Perlue siccatas infuso nectare fauces.

Dactylon

Dactylon Elysijs Heros Zebedeius hortis
Hunc tibi decerptum mittit:quo vescier olim
Non meruit,qui vos progignit & inquinat, idē
Et sator,& propriæ corruptor originis Adam,
Hoc tibi siderea distillat vite falernum,
Quo non ipsa vmquā generosius hauserit Hebe,
Aut ego miscuerim summo pincerna Tonanti.
Te cura,& corpus refoue. mox ora sonabunt
Dulcius ætherias firmo de pectore laudes,
Diuinas laudes. Quas languida tollere lingua
Incassum conata,silet frigetque:nec ægrum
Est par arcanis Diuorum colloquijs cor,
Talia dum suadet: quas miserat India, quasq;
Vrbs dederat Campana dapes,ante ora paratas,
Dispostasq;locat. Taceat fastosa vetustas.
Quæ cenas Luculle tuas,quandoq; putauit
Inuidiam mouisse Ioui: noctemq; diemque,
Vt saltem similes coquerent cœlestibus escas
Ciuibus,adiunctum Veneri sudasse Lyæum.
Nec tua se stygijs ausint conferre Triumuir,
Prandia cum scorto longum certata Canopi.
Te luxumq; tuum meretrix;ter & amplius illā
Antestat Pluto. Cenam delapsa sub Orcum
Ad phlegetontheos furtiua recoxerat ignes,
Intempesta Venus.patulo dum fessus hiatu
Tantalus,a labris fugientia fercula captans,
Luditur,atq;nouis subolentibus instat,& ora
Pandit in incertum. Sensus perlabitur imos,
Et dubiam ratio tentat Plutonia mentem,

Corq;tuum Francisce. Vides confundere falsis
Vera, nec in totum recta, & syncera locutum,
Sed furtim non nulla dolis admista videri,
Quæ faciem pietatis habent. At fallere Diuos
Quis putet, aut Diuum *mēdacia ferre ministros?*
Dū dubitat, partesq; placent æqualiter ambæ;
Nec liquet, hanc animo potius præsentet an illā;
Intentus momenta notans, & tempora captans,
Talibus ambiguū, quā flexerat, impulit Hostis.
Corpus, ait, mortale quid est, nisi currus? in isto
Mens agit, & vehitur curru. Quāto ergo vidēdū
Est opere, vt cursum moderatio temperet, ac ne
Vel labor infringat nimius, vel marcida luxu
Otia corrumpant, interscindantq; cauendum?
Hinc fragilis cum temo labat, radiusue rotarum
Laxatus crepitat; clauis cum forte reuulsis
Circulus, & quassa moles compage laborat,
Protinus instauranda datur; multoq; resarctam
Robore, veloces auriga recurrere cursus
Imperat, & tutam duras contemnere cautes.
Ac velut armatos trux incursurus in hostes,
Vectorem Dux curat equum, tantoq; lacessit
Acrius, impulsum quanto violentius infert
Quadrupedem, dēsasq; iubet perfringere turmas.
Quod si strigosum, si lentius ægra trahentem
Ilia, si corpus macie taboq; peresum
Calcar in aduersos geminatis ictibus hostes
Concitet; incassum frenos ad colla sonantes
Excutiat, fodiatq; latus, procumbet inerti
Conster-

Innocuam iussere domos pulsare propinquas.
Hinc igitur, fœdamq; hiemem, ventosq; furentes
Franciscum spectare iubet, prope nuda gerenti
Corpora, vel rigido sic obsita tegmine, tegmen
Vt non calfaceret, molliue rigentia fotu
Mulceret: potius foderet, læsisq; noceret
Artubus auxilium, duro quoq; frigore peius.
His nudos adiunge pedes. adiunge recuruum
Humenti tellure genu, quod vespere ab ipso
Sæpius in lucem vestigia prima sequentem
Obdurans retinebat; & ore ad sidera verso,
Ah quoties lacrymis ardentem Numinis æstum
Extinxit! quoties irato tela Tonanti
Excussit, grauibus iam iam vibranda lacertis!
At nunc tartarei deceptus fraude tyranni,
Permittente Deo fortes vt fortior hostes
Luderet elusus, mentemq; accenderet error;
Paulatim mulcente dolo, speciemq; salutis
Non agnoscendo secum gestante veneno,
Et blanda furtim, sæuaq; cupidine mentem
Titillante rudem; cœpit vera esse fateri,
Quæ pater vmbrarum mendaci fuderat ore,
Ac sensim mores, vitamq; odisse priorem.
Non latuit Plutona latex in corda receptus
Intima tartareus, furtimq; per omnia victrix
Membra refusa lues. Alta sic prouidus auceps
Eiaculatus auem turri, longaue sedentem
Abiete, vel refugam dumeta per inuia ceruam,
Si telo aut liquida trasfoderit ilia glande,

Quamuis

Quamuis longinquo discretus limite sentit,
Indicium faciente manu. Dux *ergo triumphat*
Exultatq; amens plausu, dum sperat apertos
Incurrisse hostem laqueos, quo maior in vno
Gloria sit, socios quam prostrauisse ducentos.
Illa etiam mulcet P*lutonia corda voluptas,*
Exprobrare suis, postquam rediisset in Orcum
Victor, & exuuias secum portasset opimas,
Tot iacula ignauos, & tot consumpse labores
Incassum, victosq; vni cessisse trecentos:
Se pugnasse Ducem multis plus millibus vnum.
Qua rabida dū mente agitat, crudeliter hostem
Vlturus veterem P*luto:* P*ater ante sedendum*
Vescendumq; altos referens ad sidera vultus
P*rotendensq; manum sacro dum fercula signo*
Diuidit, & notos immurmurat ore susurros:
*(*M*ira, sed acta loquor) tenues ceu fumus in au-*
D*ilapsæ fugere dapes. ruit ocyor Euro, (ras*
D*ira fremens, & multa minās in Tartara* P*luto.*

SERA-

SERAPHIDOS

Liber Secundus.

FVLVII CORRADI

Argumentum.

NEscius illudi, nudus ruit inter acutos
Franciscus vepres, tepido qui sãguine fœti
Effudere rosas. Cogit discedere Cælum
Dura viri pietas. paruam descendit in Aedẽ
Virginea cum Matre Deus, totumq; per orbẽ
Cœlestes largitur opes, veniamq; perennem.
Pontificem Frãciscus adit. Pluto ante Colũnã
Occupat, incautumq; Petri sub imagine fallit.
Hac quoq; Romuleũ tentabat fraude Parẽtẽ:
Sed vetat illudens, & verberat ora Michaël.

AT Pater indigna Franciscus imagine lusus,
Deceptusq; palam, veteranus miles ab hoste
Non valido, non insueto, sed sæpe fugato,
Sæpius infracto; post muta silentia mœrens
Erubuit, casuq; animum perculsus acerbo,
Non impune feres facinus temeraria, dixit,
Audaxq;

Audaxq; in tua dãna caro. Dabis improba, quales
Et quantas repetunt admißa piacula pœnas.
Nec mora: rescincto nudauit corpora sacco
Impiger, & longum rigido pulsata flagello,
Vulnificos inter vepres, interq; cruentas
Proiecit spinas. Heu heu Francisce, quid vltro
Sic inclementer, sic tu crudeliter in te
Grassaris, certamq; petis per vulnera mortem
Arbitrio quæsita tuo? si dicere fas est,
Et veniam das alme Pater, prope vera putarim
De te mendacem nuper Plutona locutum.
Nam rogo, Quod tantum facinus, tãtũq; videris
Admisisse scelus? si te cœlestis imago.
Mentitusq; habitus, non te tua culpa fefellit?
Deprendisse animo fraudes, artesq; malignas
Debuit esse satis. tantum post cautior esses:
Armatusq; Deo, stygij consulta tyranni
Subrueres. Quid enim? Deus vniuersa creauit
Non sibi, sed nobis, nostrosq; propagat in vsus.
Non dubie verũ est. Homini Deus omnia donat:
Solum hominẽ vult esse suũ. Quis dixerit autem
Tam diuersa inter, tam multaq; millia rerum
Non alias alijs quadrare? sed omnibus vnum
Quemq; frui decuisse hominũ discrimine nullo?
Terra suas profundit opes, sua pignora Pontus
Non negat, & crebro nos munerat alite Cœlum.
Hinc varie structas epulas, Cereremq; Lyæũq;
Haud homini natura dedit, sed docta refinxit,
Docta quiescentem manus irritare palatum.
Longaq;

Longaq; communis faſtidia tollere menſæ.
Fac tamen, iſta etiam largiri cõmoda terram
Sponte ſua; qualem teneros antiqua per annos,
Orbe ſub infanti, vixerunt ſæcula vitam.
Certe alium Regi cultum victũque: miniſtris
Ac ſeruis alium non inficiaberis aptum.
Nec priuatorum ſeries, ratione, modusue
Vnicus eſt. illum vitæ communior vſus,
Lautior hunc; alios virtutis in ardua toto
Tendentes niſu, iam iam ſpatia alta tenentes,
Simplicior quoq; vita decet. quantoq; ſupremũ
Ad culmen propius veniũt, Cœloq; propinquãt,
Hoc minus ex humili capiunt ſolamina terra.
Hic poteras quod Apoſtolus intonat, addere, no-
Eſſe ſub infirmo robuſtã corpore mentem, (bis
Et ſub robuſto infirmam. Queis plura relatis,
Et meliora reor tibi ſubuentura, ſuperbum
Contra hortatorẽ ſcelerũ, Franciſce. Quid ergo
Sic excarnificas artus nil triſte merentes
Ipſe tuos? Heu Diua Parẽs, heu vere Michaël
Suppetias properate. cliens ad funera veſter
Immerita, indubitata ruit. Proh cãdida quali,
Candida ſed talem mox amiſſura colorem,
Corpora reclinat lecto, creberq; viciſsim
Hanc modo ſe ſpondã, modo ſe cõuertit in illam,
Et premit, & calcat, ſeſeq; per omnia verſat
Increpitans! Accumbe toris Frãciſce Deorum,
Et ſuperas carpe ore dapes. triclinia membris
Hæc ſunt apta tuis, tyrio ſplendentia cocco,

M *Et*

Et premit,& calcat,seseq; per omnia versat
Increpitans! Accumbe toris Francisce Deorũ,
Et superas carpe ore dapes. triclinia membris
Hæc sunt apta tuis, tyrio splendentia cocco,
Et super aggestis instrata tapetibus. Vmbro
Bernardone satum, decuit regaliter ostro
Vndiq; fulgentem, molli discumbere pluma,
Et teneros refouere artus. Per florea credas
Rura sub extremi cedentia cornua Tauri,
Et colludentes inspecta luce gemellos,
Vsq; volutari, vel amabile frigus amœnos
Inter captantem riuos, vel amabile carmen
Inter ludentem choreas; & festa legentem
Serta manu, madidos circumpressura capillos,
Serta nouis intexta rosis. Quid inanibus autem
Immoror exẽplis? Etenim *quod cõfero, verũ est,*
Non veri species, in factum transit imago.
Serta Pater meritis ornabat vera capillis,
Serta nouis intexta rosis. Vos conscia brumæ
Frigora, vos calido rorantes sanguine vepres
Appello testes. hora si protinus illa
Partim purpureis, partim candentibus ipse
Dat Dominus florere rosis. ex sanguine primas
Dixeris, ex niueo credas candore secundas
Pectoris esse satas. horrens miratur honores
Terra suos, & spina suos. iam iamq; laborat
Inuidia reliquũ nemus omne, quod edere fœtus
Ante diem Solis contingat vepribus: vnos
Tam multis, tam nobilibus præponere matrem
Naturam

Naturam plantis, quas ver frondere sub ipsum
Imperat, & gelidis prohibet certare pruinis.
At non ista diu vos inuida cura momordit,
Siluicolæ Dryades, et rustica numina Nymphę.
Panditur extēplo domus Omnipotentis Olympi,
Atq; ad tanta ruit totum spectacula Cælum.
Terra bibit tepefacta niues; glaciemq; rigentem
In vitreas ver soluit aquas, talesq; repente
Diuidit in plantis ad florea germina succos,
Mox tales Zephyrus, Zephyroq; potētior Aethra
Fudit floriferas altis de sedibus auras;
Vt nemus omne virēs, lætas cum floribus herbas
Ostentaret, agris & se præferre propinquis
Auderet, nimium quos frigus adureret; omni
Iam dudum cultu, Borea raptore, carentes.
Cernere erat, primos remeare per intima sensus
Ab fœta radice, nouumq; referre vigorem
Artubus arboreis. summi frondentia rami
Germina parturiūt. primos pia mater alumnos
Hos fouet infirmos: dein imperat ordine fratres
Quemq; virere suo. certant cum robore phagi,
Cum piceis ilex, duris cum quercubus orni,
Et se quæq; suis præfert virtutibus arbos.
Eminus hostiles cupienti inuadere turmas,
Acria frondescens promittit spicula cornus.
Rursus æquum contra vrgenti; pugnamq; cienti
Comminus, ostentat grauiores fraxinus hastas.
Aptior alta fretis abies, atq; ardua pinus,
Vtraq; terrificas aspernatura procellas,

M 2 Et

Et rabiem fractura Noti. Nec Cypria myrthus,
Aut virides cessant hederæ; quas bellica laurus,
Bellica, sed doctis eadem iucunda Camenis,
Anteit, officium felix sortita duorum.
Deniq; Cælitibus se prospectantibus, omnis
Certatim nemorosa cohors, & saltus, & ædes
Commendant. natura suas pingebat alumnas,
Et super hanc vires fundebat ab æthere Cælum.
Aspera quin etiam spinis dumeta recisis;
At non quæ spinæ prægnantes sanguine, dudum
Insignes pepercre rosas. namq; omnibus illas
Antetulit plantis, mediaq; in fronte locauit,
Aeterna Michaël premissus ab arce colonus,
Apparitorq; Dei: *tuus o Francisce, futurus*
Ad magnũ ductor Dominũ, Dominamq; Parẽtẽ
Arcanos in congressus, sortemq; beatam.
Ergo vbi cuncta viã dederunt vepreta patentẽ,
Cælesti summota manu, mediumq; repente
Per nemus, ad sanctã Reginę Virginis Aedem,
Area purpureis patuit constrata tapetis,
Atq; hinc atq; illinc, radians argenteus agger
Constitit, ab summo quem distinguebat ad imũ
Rite lapillorum, gemmarumq; aureus ordo:
Protinus ecce ingens, Cælo delapsa sereno,
Aligerum pennata phalãx, quorũ ora micãtum,
Insignesq; habitus, & membra decora iuuentæ,
Spectantum mira feriunt dulcedine pectus.
Adde nec auditas vnquam, nec fando relatas
Cælestũ cytharas Volucrũ, numerosq; sequaces,
Aut

Aut Vates hebrae tuos, aut carmina forsan
Carminibus meliora tuis. adiunge rotantum
More suo celeres alternantesq; choreas,
Ordine confusas certo. demum adijce quicquid
Cor capit, & natura potest haurire fruentum.
Ebria Francisci tantis in delicijs mens,
Nec iā scit mortale aliquid, nec scire laborat
Plena Deo. Sed enim nudū quis, quādo, quibusue
Induit exuuijs? nitido radiabat in ostro:
At non quale ostrum nobis conchilia sudant,
Vel quale Occiduus, *vel quale infuscat Eous.*
Materia ex vna, lucentes ætheris ignes,
Et clamydem Francisce tuā constare putarim.
Fors illam Michaël *Præses tuus attulit, illam,*
In qua, deiectis ex arce rebellibus, olim
Duxit *honoratum per cœlica regna triumphū.*
Non indigna tuis victricia signa lacertis,
Hoste relegato. Sacram pete protinus Aedem:
Te Dominus Frācisce vocat. Nec plura Michaël
Apprensumq; manu, sacram deduxit ad Aedem.
Ingreditur, magnamq; super cum prospicit arā
Regali in solio magnum cum Matre Tonātem,
Quamuis ridenti similem, similemq; fauenti:
Horruit ille tamen, totoq; expalluit ore,
Vel reuerens, vel formidās. Nihil ergo loquētē,
Ac stupido similem, iunctis ad pectora palmis,
Curuatoq; *genu, verbis affatur amicis*
Rex prior. O *pars militiæ fortissima nostræ*
In terris, exempla Ducis *conspecta per omnem*

 Vsq;

Vsq; sequens vitam, debellatorq; silentum
Strenuus vmbrarũ, meritã post prœlia palmam
Accepturus adi. Quodcunq; videbitur opta.
Nil frustra optabis. Dabitur: siue ardua mundi
Regna petas, adigam magnos sua iura tyrannos
Imperijs postferre tuis: seu regia Cœli
Atria suspiras potius, mecumq; cupido est
Promissos habitare lares, & vescier aura
Protinus ætheria; quamquã requiescere nondũ
Tempus adest, & multa tibi curãda supersunt:
Hoc quoq; si cupias, repræsentabitur. Aude,
(Suscipiens Regina Parẽs *vltro addidit) aude,*
Securumq; roga. studium non defore nostrum
Sponderem; *ferremq; libens. at prodiga nostras*
Anticipat tua Nate, preces, & vota voluntas.
His pater erectus dictis, omniq; leuatus
Exutusq; metu: Supplex *precor, inquit, & oro*
Diuinam, *ingentem, immortalem maiestatem,*
Quã versare animo, scelerũ mihi cõscius horreo,
Et fœdis maculare labris: tamen audeo iussus,
Et peto, non equidẽ populis dare iura subactis,
Laxatumq; nouis adstringere legibus Orbem.
Non peto: nec resìdet tam cœca superbia menti,
Vt me posse putem populos frenare rebelles,
Qui me non possim. nec me præferrier vlli
Par fuerit, meritisue meis, meritisue meorum.
Adde quod humanis iterum mea pectora curis
Inuolui, mergiq; iterum ciuilibus vndis,
Mens mihi nulla Pater. Non est vulgare quod optem,
Non

Non mortale. meum sitis acrior excruciat cor:
Atq; humili quod sorde vacat, maiore tenetur
Pectus auaritia. Cupiam noua dona per Orbem
A *Cœlo pluere, & terram late imbribus omnem*
Perfundi arentem, largoq; tumescere fœtu.
Ergo precor Princeps, *quoniã tua gratia tãtum*
Vult precibus licuisse meis. Quicunq; nefandis
Ablutus mentem maculis, & rite piatus,
Propositiq; tenax, hanc ingredietur in Aedem:
Supplicia hunc soluisse putes, atq; omnia largus
Nomina dispungas, & debita cuncta relaxes.
Dixerat: & precibus noua iungere vota parãtẽ,
Suspensumq; metu, rursus Deus ore benigno
Intuitus: Nimis alta, inquit, Frãcisce precaris:
Concedenda tamen. De multis elige lucem
Quam tu cumq; voles vnã, cui tanta quotannis
In gyrum rediens maneat commissa potestas.
Hæc Deus. Ille altis nimium successibus audax,
Hoc tu, Sũme Pater, *proprio dignaberis, inquit,*
Ore loqui, festumq; diem de more colendum
Ante labris sacrare tuis. Proh *candida quantum*
Iuris habet pietas! quid non cœlestia cogit
Pe*ctora simplicitas, puris incensa fauillis?*
Et charis Dominus quid non indulget amicis?
Hoc etiam proprio, dixit Deus, ore profabor,
Quod contendis adhuc. Sextilibus ergo Calendis
In qua luce meum vinclis & carcere Petrum
Eripui soluique: animis decreta piandis
Festa dies esto; medium Sol igneus Axem

M 4 Cum

Cum rotat,ad punctũ donec regressus eumdem,
Rite quater senas Mundo diuiserit horas.
Tu modo Pontificem, nostras toto Orbe gerentẽ
Curantemq; vices verbis assibere nostris,
Vt tibi concessum diuino munere munus
Euulget, faciatq; ratum. Tibi purpura testis
Vna satis locuples fuerit, candorq; rosarum,
Egelidæ patiens hyemis; tamen adde fideli
Qui nunc aure legunt oracula nostra sodales;
Et proprijs hausere oculis. Hæc ore loquutum,
Mox patrias repetentem oras,& sidera supra
Scandentem cum Matre Dea, cingebat vtrimq;
Aligerum glomerata manus,de more canentũ,
Et fidibus resonãtum. Omnes circumq; supraq;
Mulcentur tremulis ictæ concentibus auræ:
Cœlestesq; imitata modos, expressius Echo,
Quam solet, auditũ referebat in æthera carmen.
Franciscus tanto postquam pro munere grates
Ingentes, immortales tibi Christe rependit;
Mandatum molitur iter,sacrumq; Parentem
Ecclesiæq; caput,passu properante requirit.
Ex socijs secum comites iubet ire quaternos,
Quorum oculata fides animũ Pastoris, ab omni
Exemptum dubio,Diuum responsa doceret.
Quintauallis erat,qui Franciscana secutus
Signa prior primum meruit pietatis honorem,
Bernardus claris ortum natalibus illum
Tu Pater ante alios,mox & coluere minores
In primis; tantumq; tibi Francisce secundum.

Al-

Alter ab Asisio Rufinus, origine gentis
Atq; animi probitate pari: tibi Clara *propinquus*
Sanguine, sed mentis candore propinquior; idem
Ore decens, idem totos & Virgo per annos.
Hos sequitur contemptor opũ: fastusq; paternos,
Deliciasq; omnes primis exosus ab annis,
Angelus, angelicam ducens a nomine vitam.
Clarus ab illustri quem miserat vrbe Sabellus,
Vrbe Reatina, priscorum sede Quiritum;
Et quondam validos ius. exercẽte per Vmbros.
Vltimus Insubrum veniens Maffęus ab oris
Vna erat; insignem quem maxima copia fandi,
Sed magis insignem faciendi copia maior
Fecerat. Augustam frenabat Honorius Vrbem,
Imperio præsente domans, addictaq; Marti
Pectora paulatim studio meliore reformans.
Cũ Patre purpureus Romana ex Vrbe Senatus
Venerat, illustres Proceres, *quos alta tulerunt*
Germina Romulidũ, quos Gallia miserat, et quos
Anglia, tunc sociæ socijs & viribus vna
Sanctorum decreta Patrum, ritusq; tuentes
Innocuos, impollutos. Heu tempora quantum
Temporibus, quantum mores a moribus absunt!
Iam Pater *Asisinas comitesq, rigentia nudis*
Arũa pererrantes pedibus, cœnumq; gelumq;
Vix eluctantes, Perusina *ad mœnia lentos*
Intendunt pariter gressus, Vrbiq; propinquãt.
Ecce pigros celeri præcurrens Fama volatu,
Tisiphone mõstrũ diris vrgente flagellis,

Acta per Vmbrigenas, Diuæ sub Virginis Aedē
Cuncta refert. non illa palam per cōpita vulgo,
Quod furiæ mandata vetant, sed leniter aures
Insuit Heroum Procerum, sanctiq; Senatus,
Et super inspergit, stygio quod fonte venenum,
Inuida miscuerat, multaq; illeuerat Hybla,
Tisiphone, dudum monitis instructa paternis.
Mox vbi nocturno circum velatur amictu
Terra, nec intexta lucent per terga fauillæ,
Lunaq; fraternos abscondere cogitur ignes,
Intendente Noto nigras toto æthere nubes:
Dux Erebi cœcis iterum furtiuus ab vmbris
Subuolat, & speculãs, quo se conuerteret Heros
Cum socijs, lassosq; via deponeret artus:
Inspicit hospitio tenuem sub pauperis ædem
Exceptos, inopi ieiunia frangere mensa,
Et duram Cererem, longo per deuia cursu
Emendicatam, liquidis mulcere sub vndis,
Ac refici vesciq; hilares: tum poplite curuo
Sternier, atq; alto figentes lumina Cœlo,
Cóncinere æternas illo pro munere grates.
Nulla fatigatis saltem præsternitur alga,
Nec præstat fomenta focus; sed nuda rigentes
Exustosq; gelu tellus amplectitur artus.
Quas tamen inter tot curas, tantosq; laborum
Sollicitos morsus, diuinis laudibus omnem
Audisses resonare domum, tantisq; tonare
Plausibus, & tales ad sidera surgere cantus;
Vt medium ver ire putes, non frigora brumæ.

Qua-

Qua pater vmbrarũ fractus pietate, retrorsum
Terga ferẽs, & multa minans, hac rũpere secum
Ludibria, & lusus inter miscere cruentos.
Desero plebeios, & stirpis honore carentes,
Pannososq; impexosq; horrentesq; ferarum,
Non hominum facies. nostrum cutis aspera telũ
Non sentit, nec si posset sentire, meretur.
Ad grandes me verto viros, queis corpora byssus
Intima demulcet, Sidonius extima murex
Inficit, & medium geminat bombycina tegmen;
Fercula quos externa beant, & fercula somnus
Excipit, & somnum luxus. dignanda sagittis
Hæc sũt corda meis. opulẽs hic præda parata est.
Sic fatus, rabidos cum cornibus exuit vngues,
Et vultus Galilæe tuos, tua Petre figuras
Callidus ora. genas oculo sub vtroq; refindit
Atq; arat, impressis æquo discrimine sulcis;
Quos velut in riuos geminis a fontibus acta
Influerent lachrymæ, veteris vestigia culpæ.
Quin etiam cana pingens aspergine barbam,
Et densos late crines, de vertice messem
Auellit medio, & tempus frontemq; coronat.
Iam pro claue Poli, clauem decrerat auerni
Ferre. Sed heu meminit, claues quoq; limẽ auer-
Amisisse suas, & curare ostia Petrum, (num
Ostia victori quondam deuulsa Tonanti.
Hoc recolẽs, & mẽte agitans, heu pectore ab imo
Quãtũ dat gemitũ! pauido cũ Thybride Ianus
Horruit, & colles longum fleuere propinqui,

Vixq;

Vixq;suas tenuit turres Augusta labantes,
Mox alias Regi porrexit adultera claues,
Anglia,quas Batauus,vel quas cõflarat Olãder;
Et longum medio capulum discreuerat auro.
Multus per digitos adamas,per lata smaragdus
Terga nitent,humeros trabea cingente decoros,
Ad quam cœlestes,quas nuper ademerat astris,
Crediderim transuexe faces.candentia vittis
Tẽpora flãmiuomus distinguit vtrinq; pyropus,
Exornatq; alta radians in fronte tiara.
Hanc igitur faciemq;palam,fraudemq;latenter
Pluto gerens, mediũ cum tarda recurreret Axẽ
Frigida nox,tali compellat voce Columnam,
Cardineos inter Proceres tunc prima ferentem.
O spes Romulidum,quo Principe sospite,Romam
Non ausim veterem Romæ conferre recenti:
Audisti, quod mente nefas conceperit Vmber,
Et quantum Latio, quantum conflare Quirino
Dedecus Asisinas ignobilis audeat.Vnam
Fas putat Aediculam templis non cedere nostris,
Aequalesq;sibi temerarius optat honores.
Quid loquor æquales? maiora charismata nostris
Flagitat, & prima veniet cum luce benignum
Exorare Patrem,cunctos vt festa per annos
Vna dies maneat,redeatq; perenniter;omnem
Protinus intranti, gressumq; in templa ferenti,
Ablatura luem,noxasq;in corda receptas,
Ex quo vitali fuerint detersa lauacro.
Quæ mihi centenos dona expectantur in annos.

Nec

Nec fieri propiora velim. vileſcere vulgo,
Quæ nimis ex facili veniunt. Cor vrat oportet
Longius, & mentem ſpatio maiore fatiget,
Quod donare paras, ſi vis prodeſſe petenti.
Fac aliquid prodeſſe tamen, nec inutile vulgo
Eſſe, quod Eccleſiæ ſic largiter omne per æuum
Diſperdantur opes: an non aduertitur illud,
Quã fœdum abſurdumq; foret, vitalibus Vmbris
Augeri populum donis, pereunte Quirino?
Prorſus enim periiſſe puta. Non noſtra videbis
Amplius appenſis ornari templa tabellis,
Et ſacrum noſtras venerari Numen ad aras.
Vmbria ſe donis poſthac cœleſtibus auctam
Inſultabit ouans, ſpoliis ornata Latinis.
Parua loquor. Stygio maiora mouentur ab hoſte
Prœlia: ne patriam Domini ſanctumq; ſepulcrũ
Gens pia venturos inuiſere curet ad annos,
Quæritur. Ergo hoſpes Solymeia tẽpla relinquat,
Illa ſacris impreſſa Deum veſtigia plantis,
Atq; aras, Aedemq; tuam, Sanctiſſima Bethle,
Vt petat Aſiſium? Vos vos Romana propago,
Vos grandes Vrbis Proceres, Fideiq; Columnæ,
Non pudeat, cũ feruet humus, cum funera Cœlũ
Accumulat, cum ſæua Canes contagia latrant,
Per ſiccos durare agros, vt vile ſacellum
Ingreſſi, tumido pacem referatis ab Vmbro?
Talia per ſomnum vigiles inculcat ad aures,
Clauigerum mentita Patrem, furialis imago:
Ad cor plura tacens loquitur, ſtygiumq; venenũ

Per

Per cæcos aditus,& muta cubilia furtim
Diuidit: vsq; adeo totam dum tabe cohortem
Imbuat, & nigras repetat securior vmbras.
Quin etiam mentita ferens insignia furtim
Ad lectum tacitus se se conuertit Honori.
Quem simul offendit, gelida sub nocte, calentes
Suspirare preces, tensis ad sidera palmis:
Non ausus conferre pedem. Sed limen ad ipsum
Substitit,& tales hausit de limine voces.
O Pater, o Princeps, rerum cui summa potestas,
Summus amor, vasto qui me supponere mundo
Exiguos voluisti humeros, & tollere dorso
Ingentem molem: vel pondera tanta benignus
Et clemens releua, vel vires adde ferendi.
Da Pater, vt purgē mea pectoris intima primū,
Mox faciam quæcunq; alios, aut voce docendos,
Aut vi cogendos habeam. non pectus hianti
Flagret auaritia, non vana turgeat aura,
Insultetue potens inopi: sint præmia castis
Certa viris,& lance pari stet pœna nocentum.
Da, mentem non ira meam, non fortior ira
Vincat amor. ius ipse meis æquale propinquis,
Atq; peregrinis, toto queis præsumus Orbe,
Partiar,& tantum faciat discrimina virtus.
Præcipue Stygij laqueos vitare tyranni.
Da Deus vt discam; nec missa oracula Cœlo
Credere, quæ tætris fuerint excita tenebris.
Has aliasq; preces cum Pastor Honorius imo
Duceret ex animo, nec Pluto libentibus illas
Auribus

Auribus acciperet, cupidus tamen auscultaret :
Principis interea custos ex arce Michaël
Affuit ętheria, nec se tamen ille videndum
Obtulit oranti : luces quoq; fugit acutas
Pluto tuas, certus iucundum ludere ludum.
Sic igitur secum. Proh quanta superbia victo
Restat adhuc! olim in superis par esse Tonanti
Non potuit : nunc ecce vices, & iura Tonantis
Occupat in terris, auro spectandus & ostro
Maximus Antistes. Sed enim quę dextera Cœlo
Te rapuit, terras eadem, mentitaq; regna
Demet, & illusum stygias retrudet ad undas.
Nec mora : prosiliјt, claraq; in luce refulsit,
Et quasi mentita deceptus imagine, Quid tu
Sancte senex, inquit, supremæ ianitor Aulæ,
Mortales suspensus adis hac nocte penates?
Quem tibi substituis? cui dic, curanda relinquis
Ostia Cœlicolum? Custode carentia Pluto
Si sciat, amissam contendere tendet in arcem,
Tum pater vmbrarũ, sua furta latere supremũ
Aeternũq; hostẽ reputans, Huc deferor, inquit,
Ad successorem paucis arcana docendum
Abdita de regno. mox rescensurus Olympum.
Sed te quę retinent humana negotia, Princeps,
Absentem Cœlo? repetant cœlestia regem
Agmina, ductoremq; suum sua signa requirunt.
Hic Michaël, Pax alta, inquit, super æthera. no-
Nõ opus est gladiјs. Olim cũ pugna ꝑ altũ (stris
Gliſceret, affuimus, ferroq; hastaq; rebelles
Trusi-

Trusimus in præceps.hi nunc tellure sub ima
Supplicium,æternamq;ferunt in sæcula noctem.
Quid vero,quid quæso istuc,quod cõspicor? Hæc
Cœlestes aditus tibi clauis adultera cludit, (ne
Atq; recludit? an hæc potius tua furta , tuosq;
Conatur celare dolos? Frustra.exue sacros ,
Infelix,habitus,quos nec tibi tangere fas est.
Atq; hoc tãge tuum potius. Nec plura : sonantes
Corripit extemplo claues,humeroq; sinistra
Fortius implicita,trepidãtẽ ac multa precantem
Insanis onerat plagis ; & grandia terga,
Os latum,ardentes oculos,frontemq; bicornem
Vsq; premit repetens,& longo verbere frangit
Increpitans,& dira ferox in tartara trudens.
Ille igitur gemebundus abit,secumq; retractãs,
Non bene tentatos magni conaminis orsus,
Et faciem,tergumq; dolens,Ibo,inquit,vt hospes
Antiquus, Phœbo nymphaq; Coronide natus
Archiatros vates, interpolata refingens
Ora, reconcinnet confusos verbere vultus.
Quandoquidem stellas feriens aurora micantes,
Indixit festina fugam.nec tendere contra
Noctiuagis fas est metuentia lumina Solem ;
Et mea formidant vultus infracta superbos .
Post mihi non simili pœna multaberis Vmber .

SERA-

SERAPHIDOS

Liber Tertius.

FVLVII CORRADI

Argumentum.

VMbriades diuina refert mandata Sabello,
Assensūq;rogat.Fabius,præeunte Colūna,
Fortius obsistit:testes & pignora poscunt.
Quattuor affirmant oracula visa sodales.
Maiorem vult aula fidem Romana:fidemq;
Maiorem fecere rosæ.Pater annuit.Aedem
Aeternis cumulat donis.Obstare propinqui
Vmbrorum Proceres,ęternaq; nolle.sed alto
Consilio, quod nolebant,sanxere,ratumq;
Effecere tamen.Trux indignatur Erinnys.

SIC ait:& nigras eiectans ore fauillas,
Infaustum quacunq; pedem daret, omne veneno
Inficiens ac peste solum;pudibundus ad imum
Rex Erebi conclaue ruit.Lætatur abacta
In stygios contage lacus, intraq; cauernas
Nocte frementesuas, puro cursurus Olympo,

Atq;diem meliore coma sparsurus Apollo.
Nec mora :Frãciscus faciles admissus ad aures
Principis,illustri Procerum cingente corona,
Se iacit in genua,& trepido sic ore profatur.
Inclyte Romulidum,cui pandere claudere limẽ
Dat Deus ætherium : Diuæ stat sacra Parenti
Non procul Asisio sedes. hanc forte vetusto
Labentem senio, porgentibus æra propinquis
Gentibus,instauraui vltro; carieque coegi
Deposita, in primã iuuenescere rudera formã.
Atq; ibi nunc humiles nostra de gente sodales
Sacra pij faciunt,& prisco carmina ritu
Vocibus alternant. Positas prostratus ad aras
Illacrumãs,et multa gemens, & pectora tũdẽs,
Implorat veniam, Cælumq; fatigat agrestis.
Nec dubitem, supreme Pater, si sola quotannis
Vna dies,culpas & crimina cuncta relaxans,
Aeternas promittat opes;quin tartarus amplas
Amittat prædas hominum per cæca ruentum;
Et splendens ornet numerosior incola Cælum.
Non secus ad palmam pes ocyor ostentatam
In stadio rapitur:strictoque ferocius ense
Dimicat,alta tuens confecti præmia belli,
Cetera pacis amans,& segnis in agmine miles.
Quare age per Superos:quorum respõsa fatebor
Vera,Pater,quæcunq;humilẽ,sub nocte silenti,
Dignatus famulũ Dominus,iubet acta referri,
Ostendiq;tibi.Cum Virgine Matre Redemptor
Astitit oranti,&,clara quam voce poposci

Largitus

Largitus populo veniam, ſcelerumq; leuamen
Omnigenũ, æternũ: Vade ocyus, inquit, in Vrbẽ,
Et meus vt firmet mandata Vicarius ora.
Ergo *age per* Superum*q; fidem, totiuſq; ſalutem*
Sãguinis humani, ꝑprio quẽ sãguine Chriſtus,
Suſcipiens habitus, & pondera noſtra, rebellem
Ipſe ſuum merita moriens a morte redemit:
Imperio *ſubſcribe Deum. Nec plura loquentem*
Alleuat, & læto confirmat Honorius ore.
Conſulit inde Patres. quorum ſententia primũ
Acriter obluctata, nigrum quod nocte venenũ
Hauſerat, euomuit: gentemq; Vrbemq; Quirini,
Et Vaticano ſurgentem vertice molem,
Vilibus opponunt populis, paruoq; ſacello.
Inculcant *alij Solymos, ſanctumq; Sepulcrum,*
Bethlemiaſq; arces: quorum reuerentia mentes
Deſtituat, terris mox aſſignanda Sabinis.
Atq; ita deſertam flentes miſerantur Idumen.
In *primis longo cauſam ſermone Columna*
Exequitur, ſanctamq; ferens ad ſidera Romam,
Vmbrigenas confert, ignobile vulgus, et hoſtem
Antiquum, inuiſum, ſæuum: nec munere tanto,
Nec tantis dignandum opibus. ſi dona placeret
Propria *Romulidum, fines egreſſa Latinos,*
Heſperia in magna, certas vulgare per oras:
Nobilibus ſaltem populis, gentiq; darentur,
Ad quam non pudeat claros veniſſe Quirites.
E*ſſe per* In*ſubrem meritis ingentibus Vrbes,*
Eſſe per Etruſcum. legeret de pluribus vnam,

Quam mallet: tãtum viles contẽneret Vmbros.
Commouere pium tristissima dicta Parentem:
Et quamquam Solymis multum, terraq; Sabaæ;
Plus Latio, Romæq; timet. Clarissima Mundi
Mœnia, regalemq; Aulam, patriosq; penates,
Et super hæc Procerum communia tẽpla duorũ,
Posthabuisse libens oris non sustinet Vmbris,
Et dubius responsa trahit. Tum forte verendas,
Et notus meritis, Fabia de gente senator,
Versus ad Vmbriaden Patris responsa moratẽ,
Instantemq; vltro: Miror Fratercule, dixit,
Si tanta ex alto pluat indulgentia Cælo
Ad populos, non dico feros, non dico rebelles:
Est etenim peccare hominum, seruare Deorum:
Sed, quod adhuc mecum stupeo, nil tale putãtes,
Non obsecrantes, non fletibus implorantes.
Nam, modo quod facili docuit ratione Colũna,
Si donum prodesse velis cui detur; oportet,
Spem ducendo acuas, longũq; morere precãtem.
Quod breue fit, sordet: pretiũ mora lẽtior affert,
Ignauosq; ciet. Non inculcabis inerti,
Iudice me, veniam. potius frustrabere prudens
Vota diu, & vultus simulatam præferet iram.
Nil prius imperti, quam se fateatur egentem,
Cui dabis. intempestiuo pro munere grates
Non expectato. sapiens fastidit amator
Non data dona loco. Quid imagine clarius ista,
Quam paucis referã? Stomachis obsonia crudis,
Infartisq; negant esse obtrudenda Medentes,

Qui

Qui sapiunt, pigramq; famẽ sub ventre latentẽ
Vt cieant, cogantq; dapes haurire salubres;
Segnibus indicunt ieiunia longa palatis,
Naturamq; iubent parcendo resumere vires,
Quam fœda ingluuies luxu lassarat inerti.
Non aliter curare animos, & corda necesse est.
Si veniam pacemq; vltro largiris, & vltro
Illos ipse, roges, fueris quibus ipse rogandus:
Temnere mortales cœlestia Numina discent;
Et minus exhorrere nefas, minus vlcera mẽtis
Formidare; horum si copia tanta medendi est.
Sic puer in vitium rapitur procliuius, illi
Si pater indulgens peccandi frena remittit.
Finge autem sic velle Deum: si præmia forsan
Ostentans vltro, gentes ad signa rebelles
Aduocet, inque caput contemptorum ipse suorũ
Congerat ardentes prunas. suspensus idipsum
Miror adhuc, si te Dominus, Rectorq; regentum
Miserit, & nudis rem tantam credere verbis
Pontificem, sacrumq; putas debere Senatum.
Ast ego nõ temere hoc verear, vereatur et omnis
Non temere hoc mecũ magno cũ Patre Senatus,
Ne te forte dolis mendax eluserit Orcus,
Et nos tu fallas, quia te prior ipse fefellit.
Quod si tu stygijs etiam sine teste ministris
Assinas credis, pronasq; subingeris aures:
Romanus non credo tibi. Laudare loquentem
Romulidæ. faciles intendit Honorius aures,
Atq; optata negat populis responsa daturum,

Si saltem bino nequeant se teste tueri.
Mox Pater Asisinas: Testes,ait,ecce quaternos,
O hominũ supreme Parẽs:queis Numina corã
Aspicere,& licuit voces audire iubentum.
Atq; ibi Maffęus longo sermone retextam
Expedit historiam:reseratos ætheris Axes,
Diffulsisse ignes, tonitruq; horrente per auras
Cõspicuum cũ Matre Deũ sub Virginis Aedē
Illapsum,propria cecinisse oracula voce,
Supplicibus circa famulis,pacemq; refusis
Ex animo precibus,vasto poscentibus Orbi.
Nec plausus tacuit, fidibusq;aptata canoris
Carmina Cœlicolum,totos audita per agros,
Qualia(fac verum vestros narrare poëtas)
Nec faber Amphion, nec vates ederet Orpheus:
Quamquã dura prior teneris in mœnia neruis
Saxa coire iubens, altas agrestibus arces
Condidit;et rigidis cũ quercubus omne secũdus
Auritum post se rapuit nemus illice chorda.
Te quoq;dũ tepido prægnãtẽ sanguine Brumã,
Quæ glacie in media, candentes, atq; rubentes,
Protuberante rosas vtero diffundis, & ipsis
Laudatum Superis duræ pietatis honorem
Explicat:attoniti rerum nouitate Quirites,
Et Pater,& Patres,cupida narrantis ab ore
Aure bibunt,seclis monstrata oracula nostris,
Par quibus ipsa etiã nequeat proferre vetustas.
Contra stare tamen,furia stimulante, Colũna
Et Fabius.Non ista homini miracula dicunt

Credere

Credere se: testem grauiori teste probandum:
Ac nisi certa fides fiat, vana illa videri.
Tũ Pater *Vmbriades, conuerso ad sidera vultu,*
I*ntentoq; Deum gemitu, votoq; precatus:*
Ast ô Romulidum clarissima pignora, dixit,
Si vos nequicquam communia cõmoda tangũt;
E*t tantum vestros, tantum spectatis auorum*
Sublimes titulos, impressaq; nomina fastis,
Vt vanam laudem libeat præferre saluti,
Et quæ præsentes tulimus, commenta putare:
Hasce rosas (aperitq; rosas, quæ veste latebant)
Aspicite, olfacite, & Numen cognoscite Diuûm.
E*xtemplo conuersi animi.* Primusq; *Columna*
E*t Fabius flexere genu, Cœliq; ministrum*
Vmbriaden summissi orant, veniamq; precãtur.
E*t iam tota nouis fragrabat odoribus aula,*
Qui per inane vagi, postquam regalia tecta
I*mplerunt, reliquam late sparguntur in Vrbẽ,*
Atq; ad tanta cient cupidas miracula gentes.
I*urasses, quicquid* Panchaia *parturit arbos,*
Quicquid Arabs *tua rura ferũt, aut sudat* Idu-
C*ongestũ mixtumq; vnã coÿsse sub aulã. (me,*
Nec solus mulcebat odor: pugnare colorem
Dixeris, & viua spirantes indole frondes
I*nsultare hyemi, gelidæq; illudere brumæ,*
Horrificum frustra boream, sæuasq; pruinas
I*nstanti, vrgenti. Tales nec Tessala Tempe,*
Nec Dirceus ager, nec pulcher Adonidis hortus,
Gignere se flores iactent. stupet inscia primum

 Natura,

Natura, & Zephyris conuicia multa parabat,
Se quod inadmonita, properarãt floriferum ver:
Cum videt humanas vincentia germina vires,
Diuinumq; agnoscit opus. tum poplite flexo,
Et Numen venerata, iubet secum omne suorum
Agmen confluere, ac magno seruire Tonanti.
Attonito flores inspectat Honorius ore,
Contrectatq; manu. tyrias pars sanguine cõchas,
Pars vincũt cãdore niues. Grauiora quis, inquit
Signa petat? lectas cœlestibus intuor hortis,
Natura ignorante, rosas. Nec plura requiro.
Hac faciunt vel sola fidem. Mihi nocte silenti
(Nunc recolo agnoscoq;) rosas offerre virentes
Læta videbatur sanctæ Genitricis imago.
Et mandare nouis altaria cingere sertis,
Vmbriadum fabricata manu, cæloque iubente,
Ad Numen collata suum. Concedimus ergo,
Et per te quicquid, Domino mãdante, relatũ est,
Hoc inconcussum, firmum, fixum esse iubemus.
IN qua luce olim tua sunt exempta catenis
Corpora, Petre Parẽs, *& limina, cardine verso,*
Angelus eluso reserat custode: per horas
Vsq; quater senas; media cum parte diei
Cynthius emensa, rerum contraxerit vmbras,
Atq; pari spatio distabunt Vesper & Ortus;
Donec in occiduos iterum delapsus Iberos,
Et cedens astris sua regna minoribus, idem
Rursus ad auratum curru transuectus Eoum,
Et rursus Cœli statione potitus eadem,

Vnde

Vnde pedem tulerat, vestigia prima recalcat:
Quicumq; hoc intra spatium de gente piorum,
Exutus scelerum laqueos & vincula, templum
Virginis, angelico quod duxit ab agmine nomē,
Introeat, pœnis mox liber ab omnibus esto,
Quascunq; & quales, & quantas tēpus ad illud
Commeruit. redeatq; nouum per secula munus.
Metā nec Dominus posuit, nec ponere nostrū est.
Tu cape dictorum diplomata fida meorum,
Seraphide flos Vmbriadum, nobisq; Tonantem
Concilia, & mulce precibus, vibranda coërcens
Fulmina, et impositos remouēs ceruicibus enses.
Ille autē: Tua verba satis, Pater optime, sunto:
Nec maius diploma petam. Stipulatus IESVS
Non mihi, sed Matri est. pia dona tuebitur illa
Delubris addicta suis, nec defuit Aula
Testis ab ætheria, densissimus ordo volantum,
Munusq; immortale, modis ad sidera miris
Vsq; resultantum. Dixit: frontemq; genuq;
Curuatus, sacris postquam dedit oscula plantis,
In patriam diues remeat, secumq; tabellas
Pontificis multas affert, per proxima circum
Oppida reddendas Pastoribus, ante sacrandū,
Et locupletandum tanta mox dote Sacellum.
Inde Rosam generi tradunt basisse Sabello,
Et gentilitios inter fulgere Leones.
Quin etiam spineta, rosas enixa niualem
Per glaciem (dictu res admiranda, sed ipso
Admiranda magis visu tactuq;) propinquo

In

In sepem depacta solo, sine sentibus vllis,
Candidulas, & sanguineas sub Vere tepenti,
Concipiunt, pariuntq; rosas. Tædere prioris
Seuitiæ, spinasq; putes odisse rigentes,
Quæ sanctum fodere latus. Si *surculus autem*
Defractus, terræ furtim mandetur alendus
Extra hortum Francisce tuum: mirabilis æque
Res occurrit adhuc: primum metuendus acumē,
Et sua tela frutex, coelo indulgente, resumit,
Et rursus bellum cara pro stirpe minatur.
Ergo vbi Sextiles tandem venere Calendæ,
Asisium coiere Patres. hunc acre Tudertum
Miserat, hunc patiens & sumptis vtilis armis
Nobilitas Iguuina: *remissior obtulit illum*
Fulginia, & gelidis insignior amnibus illum
Neuceria: hunc bello melior Spoletia *tellus*,
Hunc pariter Marti, *pariter dilecta* Camenis,
Astrææ ante alias generosa Perusia. *præsens*
Hic magni consulta Patris, *certumq;* Senatus
Consilium proprijs exceperat auribus. Ergo
Virginis ad tēplum cū millia multa propinquis
Vrbibus, & plures longinquo ex orbe coissent;
Franciscus primum memorare ex ordine totam
Protinus historiam celsa de sede iubetur.
Atq; hic æthereo præcordia concitus æstro,
Post inflammatum dictis cœlestibus omnem
Ad pietatis iter populum, grates q; benignis
Reddēdas Superis: *Magni sunt verba Tonātis,*
Inquit, quæ referā. Testis Dea Mater, *& ingens*
Aligerum

Aligerum coetus iuuenum, pæana canentum;
Et qui videre, & voces hausere sodales.
IN qua luce meum tætro de carcere Petrum
Eduxi, per bis denas & quattuor horas,
A medio in medium Solem, *præsente sequentem,*
Et per vtrimq; pari distantem tempore noctem,
Quilibet, ante omni scelerum contage piatus,
Huc gressũ tulerit, Sanctę Genetricis ad Aedẽ,
Vel si terram vnus tantummodo contigerit pes:
Illico tartareas iubeo laxare catenas,
A vinclis redimo, in libertatemq; repono
Incolumem. Patri *nostro de sanguine cunctas*
Cunctorum pœnas soluo, nostrumq; redibit
In gyrũ munus per sæcula cuncta quotannis.
Sic Dominus sanxit, Mater laudauit: & ipse
Prodominus, Christiq; vicem toto arduus Orbe
Sufficiens, firmat. missisq; per oppida circum
Chirographis, per Pontifices *iubet acta referri,*
Et rem vulgari, & templum de more sacrari.
Quæ Pater Vmbriades placido dũ differit ore,
Incensasq; rapit cunctorum ad sidera mentes:
Inuidus ecce iterum tætris excitus ab antris
Fractus, non fessus, rabidi sed more leonis
Saucius asperior, nigri regnator Auerni,
Promissa *insignis barba. cui cærula tergum*
Pallia, *cui frontem cidaris, cui gemmeus aures*
Sardonicus pẽdens onerat, digitosq; smaragdus
In gyrum locuplex extento circinat auro.
Armenia de gente patrem se finxit, Ophelten
Nomine

Nomine, quem dederit felix Artaxata, *fuscum*
Ora virum, sed non adimunt fusca ora decorẽ.
Is modo se sacris admiscens Patribus *vltro,*
Illud, IN ęternũ, nimis est. moderaminor, inqt,
Italidæ Proceres, longumq; reducite tempus
In denos, in quindenos, aut circiter annos.
Res tamen vlterius poterit proferrier. ipse
Sacrorum Antistes, *precibus votisq; piorum*
Spes *est vt faueat, tantisq; iudulgeat orsis.*
Assensum facile est. Tum primus Asisius alta
Præsul *ab exhedra, vehemens pia multa locutus*
Ad populos, ex composito cum dicere vellet,
Hoc munus durare decem non amplius annos;
Non potuit proferre decem: sed dixit ad omnes
Immemor, *imprudẽs annos, atq; omne per auũ.*
Non tulit Antistes Nucerinus, & incitus ira,
Fertur in orchestram, facturus verba secũdus.
Et (rem mirandam!) socij conuellere dicta
Dũ *properat, firmat repetẽs sępe, Omne per ęuũ,*
Tẽpus in æternũ. Totidem Echo verba remittẽs,
Tempus in æternũ, respondet, & Omne *per ęuũ.*
Tertius orator sedem translatus eandem
Fulginas, falsum cum dicere vellet vtrumque;
Mutatus subito verum clamauit vtrumque.
Amplas Cœli *diuitias in sæcla quotannis*
Transire, & seros ea dona manere nepotes:
Sic Dominũ, qui fata regit, mundũq; gubernat,
Mãdare, & septẽgeminas qui temperat arces,
Romuliden fecisse ratum. Spoletius *heros*
Irridere

Irridere ferox comites, greſſuq; tribunal
Dum petit incauto, reuolutus ad infima præceps
Labitur, & pariter frontem, lauam, ilia frãgit.
Seminecem tollunt famuli, tectoque reponunt
In ſtipulis Franciſce tuis. Ea tempora talem,
Non alium ſtrauere torum. cubuere minores
Mollius, & dites ornauit purpura lectos.
Aſt vbi collapſo redijt, torpentia ſenſim
Laxatus per membra vigor; damnare furorem
Liuoremq; Pater, ſpeciem pietatis habentem,
Et cultus laudare pios, rituſq; perennes,
Dona Deum rabidæ non corrodenda ſenectæ,
Integra ſed totos eadem manſura per annos.
Felicem caſum, docuit qui ſtare cadentem,
Afflicturus humi, peſſumq; daturus in ipſos
Eumenidum laqueos, ſi non affligeret vltro
Præcipitem, tuto peteret ſi pulpita greſſu:
At mox incolumem, quia corruit ante. Beatos
Pontificis lapſus, exoptandamque ruinam,
Spoletane tibi! duro quem pondere preſſum
Alleuat, & certa donat conſiſtere planta,
Fortius hæſurum. Populos comperta frequentes
Mira mouent, multaq; replent formidine pectus.
Atque hæc in tabulas curarunt acta referri,
Et teſtes adici, ſeriem qui ex ordine rerum,
Progreſſumq; omnem proprijs hauſere notantes
Auribus atq; oculis. horum cum multa virorum
Millia per genera, vt Veſper miſiſſet & Ortus,
Aut Notus, & Boreas, ſeclis donanda futuris,

In

In fastos atq; annales congesta notassent:
Attamen vrbanos Proceres, quibus illa, Deorũ
Afflatu mens est propria contraria menti
Tradita, & in verum contorta oratio sensum,
Nomine quenque suo fidis pinxere tabellis.
Nec minus hos inter veterum comperta virorũ
Nobilitas excripta patet. quibus illa videre
Atq; audire datum est. nostris de ciuibus vnum
Atq; alium testes prisca exemplaria laudant:
Coppola gens peperit primum, Crispolta secũdũ.
Templa igitur per Pontifices lustrata sacrãtur,
Et fulgent donis dotata perennibus. ipsi
Ante sacerdotes, animis de more piatis,
Cœlestes reserant aditus, limenq; beatum
Ingressi, populos introduxere frequentes.
Hinc stratos ad terrã humiles, veniãq; precãtes,
Et nudum pugno pectus, labrumq; soluta
Pulsantes dextra, lacrymis manantibus ora
Perfusos, gemitusq; alto de corde trahentes,
In patriam læta Franciscus fronte remisit.
Cui duplices Cœlo palmas cum voce ferenti,
Voce Deûm laudes, & proxima munera grato
Carmine tollenti: facies horrenda sinistrum
Ad latus occurrens: Vincis fortissime, dixit,
Me Bernardonide. fateor: me comminus ipsum
Fregisti Plutona. Ingens tibi tanta trophеum
Pugna dabit. iam victor abi, sedemq; locumq;
In Superis ascende meum. te nostra superbum
Sors manet, & merito: nam pulso rege, decens est,

Vt

Vt victi spolijs potiatur victor opimis.
At luet ista mihi meritas in tempore pœnas
Te pro Patre cohors. horum me crimine pascam,
Supplicioq; fruar. Quid terno libera voto
Stringere corda paras? ego rūpere cūcta iubebo
Vincla per vrgētes furias: ego claustra refringā
Dura manu, cogāque viros sine lege frequentes
In scelus omne rapi. præceps furor, ira, cupido,
Luxus, opum vesana fames, & foedus honorum
Ambitus, o quantis olim mea regna tropheis
Ornabunt, qualesq; ferent in tartara prædas!
I nunc; & tunicam videas si forte fluentem,
Aut mollem si forte torum, si scrinia, capsas,
Pegmata; seu niteant meliore cubicula cultu:
Seu male furtiuum custodiat arca trientem;
Obiurga, inclama, & Cœlum questibus imple.
Mox illi non ista quidem, sed prædia, villas,
Argentum, marmor, tabulas, aulæa, quadrigas,
Et pingues epulas, & plectra vocantia somnos,
Et quos congeries tumefecit plumea lectos;
Deniq; quas tu cunq; vetas, & longius arces
Delicias præsens, te vix absente, resument
Arripientq; vltro. Tu viles indue saccos,
Et funem præcinge rudem: tu vescere dura
Immundus Cerere: sterilem tibi Clasius vndā
Misceat, & vel nulla tuas obsonia mensas,
Vel brutis etiam communis agrestibus esca
Inquinet. His dulcē Campania fundet Iacchū,
Et strato dum mensa super componitur ostro,

Iam cocus & fessos irritatura palatos
Fercula sudaret. Tunc paupertate magistra
Quę stetit, et stat adhuc; dominãte libidine, pessũ
Disciplina ruet. nec sistere cura vetantum
Vlla senum poterit, nec refrenare Quiritum
Iura, minæ, consulta Patrum, *mãdata Senatus;*
Me contra obnitente vno, crebrisq; regentum
Decretis atrox furtim miscente venenum.
Sic quam tu Cœlo properas, magnoq; Tonanti
Scribere militiam, faxo tua castra, tuumque
Vexillum; certe leges & dogmata linquant.
Talia Plutonem *crudeliter ore minantem,*
Et iactantem vltro, sed pectore plura coquentẽ,
Plura reuoluentẽ, sic Vmbrius increpat Heros.
Inuidia rumpare licet. meus ardua quondam
Sidera, & ætherium conscendet miles Olympũ,
Qui nũc pugnat ouãs, Christo ductore. Nec vlla
Principis imperio, Superis *afflantibus, olim*
Inuitis tradenda viris, siue aurea pectus
Purpura, siue animũ species corrũpet honorũ.
Ast aliqui si sponte petent, similesue petentum
Frigidius renuent, & castra Ducẽq; relinquẽt,
Vt tua præcipites feralia signa sequantur
Ignaui, infidi, immemores: his præmia sunto,
Qualia transfugiũ meruit. Sed *quãta vicissim*
Insidijs exempta tuis, in prœlia pugnax
Et constans acies immanem viribus hostem
Contundet, partumq; feret super astra tropheũ!
En video terris exortum sidus Hiberis,

Per

Per nostras radiare oras, & more trionum,
Splendens ire polo, & nullos agnoscere casus.
Huic Antenorea veniet cognomen ab Vrbe,
Ac nomen patrijs fuerat Fernandus in oris.
Proximus excipiet, quem Balnea Regia ciuem
Fratribus adiũgent nostris, qui nostra per Orbẽ
Dogmata constanti suffulciet ore Minister.
Nos ægro infanti vitam exorabimus: ille
Narrabit calamo nostram, sed robore vincet
Mentis, & eloquio. Nauus damnabit inertes
Trincius, & socijs dum credit frena quaternis
Matura stringenda manu, sub Præside tanto
Paupertatis amor vires & robora rursus
Concipiens, ad signa nouum mea cõgerẽt agmẽ
Confertũ, validũ, immensũ. Dux inter Etruscos
Fortior, infirmas post secula bina cohortes
Viribus exemploq; recens firmabit; & agmen
Coget in aduersos iterum. Tua concidet armis
Nigra phalanx infracta meis, infracta meorum
Viribus, & præceps Dux retrudere sub umbras,
Pallentes umbras Erebi, noctemq; profundam,
Quæ te æterna manẽt. Immugijt ore tremendum
Arbiter vmbrarum, viuos cum roderet vngues
Infelix rabies, & labra tumentia morsu
Stringeret alterno. Furiæ sub tartara regem
Ima suum rapuere. Fragor toto intonat orco.
Pallescunt manes. denas Proserpina luces,
Et noctes totidem (Cereri narrauit Erynnys,
Et Dea Calliope) thalamis exclusa maritis,

O Non

Non ausa irato corãm se ferre tyranno :
Et sontes animę pœnas sensere grauatas.
ECCE autẽ Frãcisce tuos dũ lingua triumphos
Matutina sonat, medium prope Cynthius axem
Inuectus, radijs grauioribus incubat Orbi,
Rimatusq; nouos per inania viscera succos,
Arentes inscribit agros. Per compita passim
Lata frequens insultat eques. conferta tumultu,
Atq; hinc, atq; illinc vicinia feruet euntum
Per plateas, turmatim hominũ, pia tẽpla petẽtũ,
Thesaurisq; inhiãtũ, alma quos Christus ab Ae-
Prodigus effũdẽs felicibus impluit vndis (thra
In fines terra Vmbra tuos. Ecce *insuper, ecce*
A Domino carpenta meo. circumtonat æther,
Imaque quadrupedũ strepitu pulsata frequenti
Terra gemit, reboantque nouo Collegia plausu.
Agnosco : nec nota meas rota decipit aures,
Aut mea solemnes frustrantur vota quadrigæ.
Scandimus, inuehimurq; forũ: se protinus infert
In currũ Princeps. fidus mihi semper Achates
Ad latus adsciverat Salucion ille, secutus
Ingenuos animi mores, non nominis omen.
Haud mora: tã celeri ferimur per plana volatu,
Quam relegit pontum Coris adiuta secundis,
Bizantina ratis, volucres si quando Liburnæ
A Melita fecere fugam : vel Parthica qualis
Aërium per iter, validis impulsa lacertis,
Hasta volat. Mométo altam sub Virginis Aedẽ
Venimus, ingredimur, sãctas ꝓstramur ad aras.

Salue

Salue habitata choris Aedes cœlestibus, almę
Cœlicolûm sedes Dominæ gratissima: salue;
Intratumq; mihi limen feliciter esto,
Qua patet ætherium certus traiectus ad Axem.
Tu Rex atq; Parens, hominum simul atq; Deorũ,
Qui nostros hodie dignatus inire penates,
Hospitioq; beare tuo, mea debita clemens
E solido soluisti auro: (Sic alme Redẽptor(gnãt
Credere cogit amor, quãquam mea crimina pũ
Acriter, & meruisse malũ confessa pauet mens)
Da precor, vt furias sæuosq; arcere dracones,
Aeternum liceat. Res est indigna, patere
Vnquam tartareis animæ sacraria monstris,
Quæ colere excelsi Rex est dignatus Olympi.
Tu quoq; Diua Parens, æterni sponsa Tonantis,
Nati nata tui, trepidis fidissima nautis
Aura, fatigatis requies optata laborum;
Aspice me Zephyris contraq; furentibus Euris
Obsessum grauiore freto: da fluctibus atris
Emersum, præda rabidos fraudare chelydros,
Et fessum facili portus intrare carina.
Da præsens pia Virgo, nouas sub pectore flãmas
Concipi, & exusta scelerum strue, corda fauillis
Instaurata pijs, habitum seruare perennem,
Et cruda plus morte nefas horrere piandum.
Da precor, & solemne tuum Regina tuere.
Tu patrocinio famulum dignata frequenti,
Ab quibus exemptũ laqueis, quãtoq; propinquũ
Exitio, præsens vix implorata represti!

Ah quoties & sponte tua, non corde vocantem,
Non lingua; potius materni pectoris æstum
Corde integrantem foedo, linguaq; cientem
Infreni, Cœlo miserans pia Mater ab alto
Texisti indignum, conseruastiq; rebellem!
Quæ quoniam disposta manēt, semperq; manebūt
Alta mente; meum nec lenta obliuia pectus,
Diua, retentabunt (nisi me Patrona reuersum
Deseris, errantem propria quem sponte reduxti)
Obsecro, torpentem cœlestibus vre fauillis,
Et compelle ciens animum tibi reddere grates,
Et tua perpetuum conferre ad Numina carmen.
Dum valui, offendi nīmium, Dea Mater; abusus
Fortibus in prauum mēbris: icciroo peremptum
Lumen vtrumq; miser, largis a fonte profusis
Imbribus, vsq; suum doceo lugere cadauer.
Ducunt exequias, & tristia funera palmæ,
Palmæ infelices! quæ nec rescindere crinem,
Nec lacerare genas, nec tundere pectora planctu,
Nec secum pugnare queunt, validosq; vicissim
Alternare ictus. Quid plāta extrema? propinquū
Illa etiam funus comitari sordida vellet:
Sed nec certa potest vestigia figere, miris
Exossata modis, & cum prorumpit amaros
In luctus, non est ea luctibus vna ciendis
Causa, quod extinctos crudeli funere fratres
Indoleat. queritur propriam magis illa querelā,
Incassumq; manus poscit fomenta sorores,
Non solum cæcas, alia sed clade dolentes:
Et

Et iure & merito: facerent, quacunq; Creator
Vellet, & implerent, quos formabātur ad vsus.
Vna ter affecto sub corpore lingua valens est,
Lingua ærumnarum solamen grande mearum.
Quā, precor Alma Parens, vt sacras dicere lau-
Æternū iubeas: nō intermittere noctes, (des
Non cessare dies. vt non discriminat Ortum
Occasumq; mihi, nitido cum pulcher ab Euro
Sol aperit, spargitq; diem; vel fessus Iberis
Cum recubat stratis, lucemq; recolligit; vna
Sed mihi nox, vna durant in sacla tenebræ:
Sic Aurora hymnos quos concinit, Hesperus illos
Excipiat, rursusq; nouos canat Hesperus hymnos,
Excipiatq; Aurora nouos. discrimine nullo,
Nox sonet atq; dies: vocē det lingua perennem,
Et sine nulla meo decurrant tempora cantu.

Laus Deo.

O 3 Admodum

Admodum Illuſt.ac Reuerendiſſ. D.

NEAPOLIONI COMITOLO EPISCOPO PERVSINO.

M. Antonius Bonciarius *S.D.*

VOTVM meum ad ſacratiſsimam Virginem, dudum animo & verbis nuncupatum, mox conſignatum litteris, tibi offero ac dedico, Pater. Non iniuria: cum mihi hoc religioſum iter ingredienti, auctor fueris meditandi aliquid inter eundum, quod Virgini digrediens relinquerem, & delubro affigerem, pignoris ac donarij loco. Dicerem eſſe indignum, quod tibi offeratur, niſi me dignitas argumenti redarguat, quo neque maius, neque admirabilius eſſe aliud poteſt, LAVS Virginis, quæ Deum peperit. Dicerem ſaltem, hoc ipſum nimis a me humiliter, atque ſimpliciter eſſe tractatum; &

daret

daret celeritas veniam: Sed eadem hoc vetat Dei Mater, cui supra omnem virtutem Humilitas, atque simplicitas placuit. Mirabor igitur, non excusabo, felicitatem munusculi mei, quod ipsa etiam commendat paupertas; & videtur de industria carere ornamentis, quæ illi mea tenuitas dare non potuit. Vale.

Adieci datam postea mihi abs te illustrem, Odam, quæ cuius sit ignoramus. Et hic iterum confirmo, non esse nostram. hactenus enim, licet a nobis incerto auctore vulgatam, multi meam putant, plures tuam. Iterum Vale. Ex Collegio tuo Cal. Oct. CIↃ IↃ CIII.

VOTVM
DEIPARAE VIRGINI,
AD SACRAM AEDEM LAVRETANAM.

HAeccinè Sancta Domus? Mariæ domus? alma Virago
Hic genita est, genitura Deum? demissus ab Aethra
Nuncius huc Gabriel, inopes intrare penates
Iussus, ab æterno portauit Patre salutem?
Huccinè (quod nullis est enarrabile verbis,
Atq; omnem superat mentē) Deus æthere ab alto
Labitur, exiguaq; volens includitur aluo
Paruulus, immensum digito qui librat Olympū?
Me fortunatum! cui limina tanta subire
Fas fuit, & longum saxis hærere beatis.
Ore, manu, genibus. Non me laquearia regum
Aurea, non gemmis paries & luce coruscus
Purpurea, non fulua solum si pingat iaspis;
Non me vel quicquid pretij maioris auaro
Terra fouet gremio, vel fœta enititur vnda,
Vel doctæ finxere manus, capiatue, trahatùe
(Siue oculis, seu mente vtar) plus paupere tecto,

Plus

Plus latere exeso, plus nudo & simplice cultu,
In queis parua Domus *regalibus anteit aulis.*
Hæc calcata Deo vestigia: lusit IESVS
Aede sub hac infãs. Hic blãdulus oscula Matri
Natus, & hic Nato blãda obtulit oscula Mater.
Hic fessum cunæ, aut gremiũ fouere Parentis
Molliter hærentem, fusis ad colla lacertis,
Iucundumq; bibit, cantu fallente, soporem.
Hic Puer *excitus, placidis seu risit ocellis,*
Arrisit Puero *tellus, & pontus, & aër;*
Seu *rursus madido tepuerunt lumina fletu,*
Intepuit fletu tellus, & pontus, & aër.
Hic Puerum *grandes voluentem pectore curas,*
Obsequÿs intenta cohors, hinc fusus & illinc
Aliger, ætheria stipabat ab arce satelles,
Felix excubias secum partita iuuentus.
Hos etiam coluisse lares Elementa feruntur,
Auctorem confessa suum, dum fœdera discunt,
Et proprias seruare vices. Hoc ante tribunal
Summisit Natura genu, Puerumque *poposcit,*
Vnde homines pecudesq; aleret, vitasq; volãtũ,
Et quæ marmoreo fert mõstra sub æquore Pon-
O dilecta Deo *sedes, & culta Tonanti* *(tus.*
Regia, supra Orbem felix, Cœli æmula! qua nec
Altera stellifero magis est miranda sub Axe,
Nec metuenda magis. Iudaæ à finibus illam,
Barbaricis infensam armis, sublime per auras
Siderei vexere chori; longoque recursu,
Fortunatæ tua Picens in sede locarunt.

Tunc

Tunc venerabundas, curuato tergore plantas
Sponte sua flexisse caput, Dominaq; potenti
Assurrexe ferunt. Zephyri cœlestibus auris
Iungier optarunt, & dulce per aëra pondus
Sustentare, auidis instantes oscula labris.
Quin etiam supplex palmas ad sidera Triton
Sustulit Adriacus, volucrem dũ prospicit Aedem,
Nocturnis radiare vndis, & finibus altè
Impendere suis; Venetamq; inuitat ad Vrbem.
Sed fugit illustrem patriam, fastusq; superbos
Excelsi Regina Poli; moremq; modumq;
Antiquum retinens, humili se sistit in ora.
Nec statio diuturna tamen: (mirabile dictu,
Horrendum visu) gentes exosa nefandas
Casta Domus, cædem, luxus, & turpia fratrum
Iurgia, furtiuo per proxima rura volatu
Ter, quater auecta est; certoq; in littore tandem
Vix stetit. At quæ me Furię (Deus o Deus) vrgẽt?
Quis tãtus mẽtẽ pauor impulit? Hei mihi quales
Occursant animo pestes, & conscia turbant
Pectora, commissas horrentia pectora culpas!
Men' veritum non esse sacro succedere templo,
Et sãctã violare Domũ? Cui quercus, & ornus,
Inclinata locum dederunt, quam silua beato
Excepit tremebunda sinu, quã Tartarus horret,
Et Cœlũ veneratur; ego hanc, ego tãgo profanus,
Et maculo impurus? Quæ tanta piacula tantum
Heu scelus eluerint? Quis Cœlo infensior alter
Tentauit Cœlestem aditum? nec limen ad ipsum

Corruit

Corruit exanguis? Me vel disperdite venti,
Vel rapite Eumenides; vel vos arcete coloni,
Ne culpis offensa meis, sanctissima Virgo
Me fugiens, aliò venerãdam transferat Aedem.
Sed tu: namq; soles trepidis, Dea, rebus ab alto
Consulere, & nostros lenisti sæpe dolores;
Nec te nequicquam voti damnata Patronam
Turba suam cõpellat ouans, & templa tabellis,
Auxiliumq; tuũ Numenq; loquentibus, implent:
Aspice me, quãquam scelerũ contage pudendum,
Et morbis squalẽtem animi; tamen aspice Virgo,
Nec mites auerte oculos; si pœnitet acta
In prauum vita; si trux dolor ossa remordet;
Propositique tenax, Cœlo conuersa sereno
Mens inhiat, curas & detestatur inanes.
Tu veniam, tu Diua Deum, commissa pauenti,
Et pectus plangenti, & fletibus ora riganti,
Et longa ex alto suspiria corde cienti,
Posce libens; animumq; nouo munimine firma.
Non ego quos habui, repeto, Dea mater, ocellos,
Non repeto: valeant: nec sunt mihi lumina tanti.
Lumina, quæ duras ob magna piacula pænas,
Quas meruere, luũt. Aliud mihi lumen ab astris
Affulgere peto; cæcis quod corda tenebris
Exuat, & pandat mihi me. Vos nocte sepulta
Non luces, potius miseranda cadauera lucis,
Per testes oculorum orbes, animæq; canales
(Iam speculæ fuerant) effundite pectore ab alto
Perpetuos lacrymarũ imbres, dũ crimina vestris.

Nostra

Nostra rigentur aquis. vestro decet amne rigari,
Qua vestra in primis sordescunt pectora culpa.
Me miserum! quoties patulis ingressa fenestris
Mors animi penetrale petens, immanibus ægrum
Confecit plagis! quoties nil tale timentem,
Non aduertentem, non obuia tela videntem,
Per vos fraude, dolo, iaculis armatus inermem
Transfodit Sathanas! Vtinam se conderet ante
Sol nobis, vtinam maturior ingrueret nox,
Raptura innocuas luces. oculatior essem,
Ante carens oculis: & festinata serenum
Augeret caligo iubar. Mea lumina, certe
Si largum pluitis, talemq; rependitis vsum
Orbato: possum tenebris ignoscere vestris,
Et possum Soles animo delere serenos,
Nec meminisse diem. Totas immittite habenas
Vndarum: plenos interni carceris amnes
Laxate, & sanctum lacrymis conspergite postem.
Felices oculi, per quos abluta nitescent
Cara Deis, Nato pariter Matrique, futura
Pectora: felices lacrymæ, quas vbere vena
Manantes hæc saxa bibent; hæc saxa verendo
Consecrata Deûm tactu; quæ Virginis ante,
Mox Pueri repsere pedes, & vtrumque beatus
Sustinuit paries, vestigia prima mouentem,
Hærentemque manu. Quis me felicior alter,
Siue hic languentem paulatim deficeret mens,
Siue hoc in lacrymas resolutum deflueret cor,
Seu totus fierem lacrymæ? Templa ipsa rigarē,
Huc

Huc illuc impune fluens, & dulcia saxis
Oscula libarem, fieremq; per oscula saxum.
Talis Nereidum lapidescere fletus in vnda
Dicitur, innuptis corallia grata puellis,
Bacca verecundis imbuta coloribus. O me
Dilectum Superis, *immortalemq; futurum,*
Hac liceat si lege mori! Sors nulla beatæ
Conferat huic sese sorti: vita inuida talem
Suspiret mortem, cupiatque hæc illa vocari,
Arbitrata parem, vel se confessa minorem:
Si non esse iuuet, si luce beatior omni
Nox premat æternũ. Quãquam nõ mortuus essem,
Virgineæ compago domus, & sanctus in ipsa
Factus morte lapis. Magni tu Sponsa Tonantis,
Et Nata & Mater, longum miserata dolorem,
Atq; humiles lacrymas: oculo meliore labantem
Respice. Da, cæcum laqueis subducere gressum,
Et calcare vias ad te Natumq; ferentes
Constanti stabilique gradu. Si quicquid ab alto
Dat Deus *ingenij, si, quod mibi conferet oti,*
Te mandante, Pater P*astorq;* C*omitolus; omne*
Iam voueo, do, sacro tibi; clarosque Triumphos
Virgo tuos, Regina tuos, quos mente reuoluo,
Ore canam, Latijs *ausus mandare Camenis,*
Et pius exiguis includere grandia chartis.

IN SACRAM ÆDEM LAVRETANAM

Ode I. A.

O Grata Regi Cœlicolum domus,
In Nazareis condita finibus
Quondam; Volucres te ministri
Illyricas sine labe ad oras
Vexere. terras rursus, & ęquora
Supra ferentes, te placitum Adriæ
Ad littus, in Laureti opaca
Innocuam posuere silua,
Votiuo vt auro, vestibus vt sacris,
Gemmisq; fulges! quæ te humilem ambitu
Late tuetur ducta circum
Marmoreo ferit astra moles.
Sanctam, potentem tę Ausonidum piæ
Visunt cohortes. te Rhodani accola,
Tagique potor, te Liburni,
Te Armenij celebrant frequentes.
Audit precantes hinc propius Dei
Mater, periclisque eripit, hinc leuat
Morbis laborantes. acerbi
Limine me quoque lethi ab atro

Raptum

Raptum, paternæ restituit preci.
Huc solue vinclis ingrediens pedes,
Huc tende palmas, huc inertes
Tolle oculos. Domus hac patentis
Reginam Olympi continuit sinu
Angusta paruo: hac nuncius explicans
Cælestis alas fulsit; Orbi
Attulit hac misero salutem.
Proles supremi Numinis (o stupor)
Concepta in aluo Virginis integræ.
Tunc munerum vbertas ab alto
Axe pluens, Dominam, breuemque
Ditauit aulam; flaminis imbuit
Hanc aura sancti; filius hoc Dei
Plantis pauimentumque pressit;
Hos manibus tetigitq; muros.
Qua Diua Mater parte frequentius
Sedit? quo amaram fleuit in angulo,
Nati innocentis questa mortem?
Limite quo thalami e sepulcro
Natus resurgens constitit? o vbi
Sopore lethi lumina condidit
Annosa Virgo? intaminatæ
Corpus vbi iacuit Parentis?
Christi peractis qua socij sacris
Duxere funus? sanctior an locus
Est hic, an ille? an ne omnia æque
Sancta putem, venererque sancta?

Impressa saxis qua quibus oscula
Figam? quid, o quid mentem agitat nouam?
Quod corda Numen, quæ sacelli
Religio quatit? hinc profana
Abeste cura. nil ego, nil amem
Mortale posthac, immemor omnium,
Meique. Vos complexu in vno
Nate colam, Genitrixque Virgo.

IN SACRAM DOMVM LAVRETANAM.

Io: Baptista Laurus Seminarij Clericus.

QVOD *mare per medium ventis librata secundis,*
Calcaris nullo remige terga freti;
Longe ierint nubes, pontus maiore sereno
Riserit, horrentes presserit aura minas:
Haud mirũ. eduxti tenerũ, Domus alma, Tonãtẽ,
Cui possessa truci paruit vnda Noto.

EXCIDIVM GRAECIAE,

Liber

Ex Parthenide, ſiue Triumpho Virginis depromptus.

M. Antonius Bonciarius

F. BONAVENTVRAE CAPVCCINO a Spoleto. S. D.

EXpoſui coram tibi, Pater admodum Reuerende, vir doctiſſime, vir amiciſſime, quas ob cauſas Parthenida, incohatum Poëma de Virginis Triumpho neque perſequi, neq; producere ad eam formam mihi liceret, quam initio habui propoſitam. ſic amici hortantur, ſic ratio perſuaſit, ſic neceſſitas coëgit. In animo habeo, tribus dumtaxat aut quattuor libellis cõplecti vniuerſum illud argumentum, quod in libros duo-

decim, aut eo plures partiri decreueram, de Virgine per Gabrielem admonita suæ in Cælum Assumptionis, de regressu a prædicatione singulorum Apostolorum ad Vrbem Hierosolymam, de Pompa Exequiarum in terris, de Triumpho & Corona in Cælis. Ego videlicet ingens palatium, siue insulam animo eram dimensus cum ampla porticu, ampliore pomario, spatiosis aulis, capacibus cubiculis, deniq; omnibus membris inuicem sibi respondentibus. quæ nunc omnia, vel propemodum omnia sunt nobis retinenda & conseruanda. tantum ædificij forma redigetur in angustum, & membra omnia proportione decrescent. domus fiet pusilla, sed (vt speramus) nec inelegans, nec incommoda. fontem, hortum, xistum pariter habebit, non inamœna, sed pariter pusilla. longas illas per prata, per nemora, & per montium iuga excursiones desiderabit. Talia sunt in longioribus Poëmatis longa Episodia, quorum ego aliquot mihi comparaueram ac seposueram, suis postea locis interiecturus. Tale hoc inter cetera fuit ponendum,

dum, quod hodie ad te mitto inter schedas repertum, ante annos septendecim mihi meditatum. quod tu si forsitan vita non indignum esse censueris, haud ego inseram Poëmati, quod omnino nõ potest; sed tamẽ inter Pia Poëmatia, quæ nunc recudimus, locum illi aliquem assignandum curabo. Est enim materies, vt videbis, ab reliqua Parthenide tam diuersa, tam segregata, vt Carmen per se ipsum consistere possit sine ope Poëmati amplioris. continet enim Deiparæ Virginis Visionem, eamq; perfectam & absolutam de Græcia, post certum tempus casura (vt iam cecidit, ac misere iacet) in tyrãnidem Othomannorum. Emendare aut polire scripta omnia, sed in primis poëtica, quæ luseris in iuuentute, vix licet senescenti, vel ne vix quidem non videnti. Quare titulum dumtaxat mutaui: prò quasi milite aut filio Parthenidos, seruum fugitiuum; & pro vincente obiurgantem ac minantem induxi, deniq; alterius Excidium pro alterius Triumpho. Præmitto ad te hodie libellum, vt hodie ipso (si per negotia tua liceat) perlegas totum,

aut ſaltem excurras properanter. Cràs, cum Deo beneuolente, ad vos me conferam, auditurus, quod ſoleo, iudicium ſimplex, liberum, eruditum. Vale ſapiens ac vigilans Paſtor cum pio grege. Dominum mihi conciliate renaſcentem, quibus natum videre prioribus contigit, & nunc contingit ſalutare. Ex Collegio S. Bernardi, anteuigilio Dominicæ Natiuitatis. CIϽIϽCIX.

Frater Hieronymus à Narnia Concionator Pontificius latinas ad me hodie litteras miſit, agentes gratias de pio munuſculo à me acceptò, & tibi pariter ac Tramontano plurimam ſalutem adſcribit.

EXCI-

EXCIDIVM GRAECIAE,

ſiue

PARTHENIDOS

LIBER SINGVLARIS.

Argumentum.

EXcidium Solymeũ atrox, clademq; futurã
Prę̄môſtrãte Deo genitrix aſpexit, & Hellen
Quæ pariter maneant in tempore fata, docetur.
Graiugenum terram Cuſtos Cæleſtis, eandem
Aurea Paſtoris commendant ora Tonanti (mũ
Nequicquã. Dominus Danais data munera pri-
Exprobrat ingratis, dein corda ſuperba, pudẽdos
Infandoſq; hominum mores, demũ impia totum
Sacra per Eoum labris vulgata profanis
Increpitat, Scythicoq; iubet ſeruire tyranno.

LEgerat hiſtoriam, Nato pingente, futuram
Diua Parens; & caſum Vrbis miſerata, dolorem
Non tenuit, lacrymiſq; ſinum compleuit obortis,
Pauca querẽs: Hẽ tecta, inquit, dignata Tonãtis

Hospitio,& sacris mecum ferre oscula plantis:
Hem Solyme infelix,missā quæ a Patre salutē,
In tua conuertis crudelia fata! Quid autem,
Nate Deus,quid docta olim factura Pelasgis,
Et circum sparsæ nostris a finibus vrbes?
Dic age, si populus pulchro subiectus Eoo,
Gens electa tibi, cultus ritusq; sacrorum
Intactos, puramq; fidem, sanctumq; pudorem
Deseret; extremos an conseruabit ad annos
Fortiter,infestis non concessura tyrannis.
Dixerat. Atq; illam lux circumfusa repente
Obruit, & dulcem spirans in corpora somnum,
Ad cælos animum rapuit, iussitq; futurum
Hellados excidium, causasq; audire cadendi.
Ecce autem regnis sese referebat Eois
Aliger, Aligerum prima de classe Potentum,
Quem Pater Omnipotens Grais præfecerat oris,
Et populos circumiectos, vrbesq; propinquas
Late crediderat, commendaratq; tuendum:
Hasq; vltro lacrymas & tristia dicta Tonanti
Casura pro gente tulit. Rex maxime regum
Cuncta mouens, & cūcta beās,cui grandia cæli
Atria, cui pressus vasto sub pondere Mundus,
Et Stygiæ famulātur aquæ,nomenq;tremiscūt:
Aspice, quo rabies, nullisq; coercita frenis
Impietas Aladina ruat, quantasq; per omnem
Ediderit late strages, & funera Mundum.
Hæc ab Hyperboreis emissa trionibus, olim
Riphæis delapsa iugis; per Bactra, per Indos,
Quæ

Qua rapidas nequicquã vndas, & cornua Gãges
Exerit, & frustra pontem indignatur Araxes
Barbarico iniectum fastu, per rura, per vrbes
Irrumpit violenta meas, gentiq; Pelasgæ,
Et templis, arisq; tuis crudele minatur
Excidium. Non ille Deos, non fœdera belli,
Non leges, non iura colit: discrimine nullo
Fas habet atq; nefas: confundit sacra profanis:
Et quos in se acuit violati Numinis enses,
Calorũq; minas, & vana tonitrua ridet. (ques,
Quare age, qui terras, & Tartara fulmine tor-
Immensi princeps & conditor Aetheris: altam
Exturba mentem, & fastus contunde superbos.
Sẽtiat, haud sibi cum populis inbellibus, haud cũ
Vrbibus & templis, sed cum magno esse Tonãte
Susceptum bellum. discat, mortalia si sunt
Arma armis æquanda tuis. Nec plura precanti
Excepere Patres, quos Græcia iactat alumnos,
Basilij, Nazanzeni; quosq; alta Damascus,
Quos fæcunda Cyprus, quos Bizantina tulerunt
Littora Pastores. vna omnes voce rogabant
Pro grege quisq; suo: Cum Numinis ira remitti
Sidereis est visa choris, contraq; tyrannum
Versa, putabatur buccas inflare tumentes.
Ille sed infidos oculo peiore Pelasgos,
Quã Scythicas, quã Sarmaticas ex æthere tur-
Despiciens, lentas in pectore suscitat iras. (mas
Tum pius emicuit toto aureus ore Sacerdos
Prolixa insignis barba, cui candida vittis

P 4 *Tempora*

Tempora, cui multo radiabat sidere tergum,
Et tales imo rumpit de pectore questus.
Heu Rex, æterni proles æquæua Parentis,
Heu Pater idē hominū; iusto qui examine pœnā
Mercedemq; libras: quid iā tua dextera, quid iā
Cessat sacrilegam maturo fulmine gentem
Sternere? & infanda priscos a cæde clientes,
Illustrem patriam, cunabula nostra, tueri?
Ab subeat, quantum tellus tibi Graia cruorem
Sparserit, & quot carnificum lassauerit enses
Cædibus vna suis. quarum nisi barbara cuspis
Fecisset satiata modum, constantia nunquam
Nostra fuit factura. hilares per tela per ignes
Vadere: crudeles verbis vrgere tyrannos:
Irritare feras: laniandaq; tygribus vltro
Membra dare, & crudis augere leonibus iras:
Demum vna plus morte mori; sic fida iuuabat
Pectora, priscorum pro religione parentum;
Regales vt sæpe dapes, vt molle falernum
Ieiunis labris, & sicca fauce petuntur.
Quin etiam seros pietas doctura nepotes,
Et latura Crucem terras secura per omnes,
Aeternis inscripta notis, & sanguine nostro
Culta viget, chartis commissa fidelibus. Inde
Quod doceat, Romanus habet, quod discat Eous;
Quod reliquus credat gelido sub sidere Mūdus.
Ergo ea, cui totum moderari legibus Orbem,
Cui populos mollire truces, frenare rebelles,
Informare rudes, cœlo indulgente, licebat,

Gracia;

Græcia; quæ magnis prælata Quiritibus, alto
Imperium confine Polo superintulit astris,
Hei mihi barbaricos horrescere cogitur enses,
Seruitiumq; pati seruorum immane suorum!
Ne gnatam, ne sperne Parens; & spernere gnatā
Si potes, & regnum caris auferre Pelasgis;
At Matrem defende tuam: castissima Mater,
Quos pede calcauit, consecrauitq; penates,
Et qua tu quondam repsisti paruulus Aula,
Cum Senis exceptus gremio, manibusq; Parĕtis,
Inter & amplexus, cognataq; bracchia ludens,
Oscula diuideres, & ridens ore beares:
Hos, inquam, patiere lares, hæc regia tecta,
Aeternis dignanda sacris; patiere beatos,
Proh dolor, ante tuo rorantes sanguine colles,
Nunc madidos lacrymis, fœcūdaq; fletibus arua
Supplicium miserorum, hostes calcare superbos,
Et fœdare sacram miserandis cædibus Vrbem?
Ah potius rigidosq; Hunnos, sæuosq; Gelonos
Augurium crudele petat. vos Numinis hostes,
Numinis ira premat. rursus te diues Idume,
Contactu dignata Dei, dignata sepulcro,
Omnibus ante stantem oris, felicior aura
Respicit, & fortem telis cælestibus auget.
Quod si decretum contra est, si contra repostum
Arcana sub mente latet, Scythicumq; tyrannum
Stat populis dare iura tuis; gentemq; nefandis
Criminibus purgare paras: non deprecor iram
Suppliciumq; Pater: genus est miserabile pœnæ

Quod precor, vt mutes. Abrumpat vincula Nere-
Et vagus Aegæum terris immittat Achiuis (us,
Ioniumq; fretum: Syculis Alphæus ab oris
Dira fremẽs redeat, pinguesq; impune per agros
Arcadiæ, simul omne boum, simul omne colonũ
Rũpat opus: celeres Arethusa retorqueat vndas,
Et coëat, latices non amplius osa maritos,
Et totam rapidis exorbeat haustibus Hellen.
Aut tu, magne Pater*(si gentem perdere certũ est,*
Nec mutata retro sententia cedit) ab alto
Axe tona, & crebros densis a nubibus ignes
Implue, contractumq; nefas longa elue flamma.
Deniq; tartareas potius violenter ad vmbras,
Pallentes vmbras Erebi, noctemq; profundam
Abijce præcipites. possum ferre ista libenter,
Si non iucunde: tantum ne crede tyrannis,
Et fœdos auerte Gothos. dura omnia remur
Barbarico leuiora iugo. sic fatur, obortis
Aureus ore Pater lacrymis. fleuere Pelasgum,
Et Solymum magni Proceres, cunctiq; dedere
Cælestes gemitum. vasti tum Rector Olympi,
Vultu, quo cœlum tempestatesq; serenat,
Quo beat ætherios ignes, quo territat Orcum,
Intuitus circa effusos longo ordine ciues,
Incipit. Et quamquã paucis Deus omnia signis
Extulit & Mentes paucis hausere beatæ,
Vt pariter paucis cognouit singula Virgo:
Non tamen hæc nobis, non est concessa potestas
Nutibus effandi breuibus longum ora renarrãt
Nostra

Nostra, quod in puncto memorat Deus. ergo fre-
Alloquitur cœtū(voces adamāte notabat (quēti
Incorrupta fides) AVDITE ô mentibus æquis
Cælicolæ, nostrosq; alto sub pectore sensus
Condite. Grata mihi pietas est vestra. Pelasgas,
Et Syrias late gentes, mea regna, meamq;
In terris sedem Scythico seruire tyranno
Abnuitis, fieriq; ingens iniuria cælo
Credita, si patimur, si non vlciscimur. inde
Per cœlum cor omne pauet, mēs omnis abhorret
Tam dirum versare nefas. insigne pudoris
Indicium, constans amor, atq; æterna voluntas.
Hæc etenim vestris obliuia mentibus infert,
Et meminisse vetat, quod non delectat amantem.
Mordacesq; animo curas fugat. Ergo recurrāt
Edita iam pridem nobis oracula: Quidnam,
Et quoties plana rerum sub imagine pingens,
Admonui docuiq; meos? VIR maximus olim
(Hæc ego sæpe palam medijs in millibus ardens
Intonui, & vobis vsq; inculcanda reliqui)
Vir fuit, antiquo veniens a sanguine regum,
Diuitijs armisq; potens: cui forte necesse
Cum foret a patrijs discedere longius oris,
Atq; alios habitare lares: pinguissima rura,
Fæcundosq; hortos, & consita vitibus arua,
Fortibus & nauis certa mercede colonis
Assignat curanda. suas pro tempore fruges
Imperat, & totum mandat seruare per annum.
Namq; coactores, exactoresq; sub ipsum
Tempus,

Tempus, ait, cum cana Ceres horrescere messem
Incipiet, ferrumq; tremet: mora nulla, remittã.
Vos meminisse decet. Quid nõ promittat agrestis,
Argutos dominorum oculos si possit in Vrbem
Trudere, & aeternum vacuis auertere campis?
Ille igitur securus abit: securior agrum
Vulgus arat, fructusq; sibi despondet heriles.
Ne longum faciam, maturis campus aristis
Albicat: ecce adsunt, repetunt, instantq; ministri
Nequicquam. seruos vel non agnoscere, vel non
Fidere se, vanus primum mentitur agrestis:
Mox vbi facta fides, & certum tessera signum
Ostendit; miseros impacto fuste coercent,
Increpitisq; atrox obiecta cuspide fatum
Intentant: quosdam crudelius ense trucidant,
Et proiecta palam miseranda cadauera ludunt.
Mox alios aliosque, Pater quos misit, eisdem
Expellunt armis, & crudo funere mactant.
Quid dominus faciat, cum talia nouerit? inquã.
Dic genus Abramidûm, quid si te cõsulat? an tu
Flagitium crudele putes impune ferendum?
Non puto. sed multo dominus clementior iram
Sustinet, ac non dum tenero de pectore Patrem
Eijcit; Vnigenam dimittere cogitat, acres
Emollitum animos, & munera pacta redemptũ.
Forte verebuntur, dixit, mea pignora: seruos
Pellere fallaces, & non confidere vulgo,
Haud quaquam res magna fuit. sic Natus eodẽ
Truditur infelix. Hunc barbara turba cruentis

Inuadit

Inuadit gladijs, & funere mergit acerbo.
Tum raptis potiuntur agris. Hærede perempto,
Non metus est, aiunt, ne nos expellere quisquã
Aut velit, aut tentet. Fatui! qui credere possent,
Infandi sceleris pœnam non esse luendam,
Regresso in patriam domino; seseq; putarent,
Præmia, flagitijs & sanguine parta, tueri.
Iam quid vos? inquam. Domino quã mẽte ferẽdũ
Ducitis? & quid tãdem homini censetis agẽdũ?
Exclamãt vno ore, Malos male perdat agrestes,
Et sua committat melioribus arua colonis,
Qui grates habeant, fructusq; in tẽpore reddant.
Hic ego, Recte inquã. Magni sic Arbiter Orbis
Ecclesiam quandoq; suam, ritusq; sacrorum,
Et regni cælestis opes, sedesq; beatas,
Quas docui, decreta meo signanda cruore;
Si videat neglecta suis, aliena requiret
Obsequia: & longum populis offensus Eois,
Quos habuit primos; alium deuectus in Orbem,
Hesperias late gentes, atq; Itala regna,
Romanasq; arces alta ditione tenebit.
Quæ non Isacidis, nec solum dicta Pelasgis,
Aut volui Latijs: ius est æquale per omnes
Infusum populos. Vbi perfida regnat Erinnys,
Et fœda ingluuies, & amor sceleratus habendi,
Et comes impietas: hinc indignata recedit
Relligio, secumq; choros vna ire sororum
Imperat. incorrupta Fides, & nescia falli
Spes dominã sequitur, facibusq; armatus honestis

Purus

Purus Amor: longaſq;trahens Aſtræa cohortes,
Vltima cæleſtum tatris abducitur oris.
Nunc ego quid referā primis exorſus ab annis,
Mundo infante alios cum feruidus vreret Axis,
Nix alios premeret, mediā quod Græcia ſedem
Me tradente, tulit? cœloq; imbuta ſalubri,
Viribus, ingenijs, opibus pollebat? in orbem
Cum fureret reliquū ignoratio, morbus, egeſtas?
Eſto autem:non quærit opes, ſed quærit honores;
Et ſegnes animos, & vitam damnat inertem.
Laus etiam conceſſa duplex, & curia caſtris
Addita. quam dedimus bellis augere ſecundis,
Quam placidæ peperere togæ, ſeu legibus vrbes
Condere, ſeu docilem ſtudijs formare iuuentam,
Seu metiri animo cœlos, & ſidera mallent.
Quid loquar innumeros, terraq; mariq; ſubactos,
Europæ atq; Aſiæ populos? æquataq; terris
Imperia, & dantem regni confinia Tethyn.
Queis nō vlla mihi gens floruit ante Pelaſgam.
Quod magis eſt mirū, noſtras nec vota per aras,
Nec dum thura dabat; ſacris addicta nefandis,
Et ſtygio ſubiecta iugo. nos dempſimus illud,
Dempſimus & noſtro ſubiūximus, Orbe redēpto,
Heſperios ſupra populos, ſupraq; Quirites,
Et mūdi reginam Vrbem. Nunc diſcite quales
Et quantas veſtrum, meritis pro talibus, Argos
Rettulit auctori grates. Diuina cluebat
Relligio; late Aſſyrias diffuſa per vrbes;
Nec Samaris, nec ſola Deum cantabat Idume:
Græcia

Græcia cum ſeſe noſtris abduxit ab aris,
Perfidiam teſtata ſuam:mentiſq; furorem
Indomitæ,ne ſola ſuis ingrata noceret;
Protinus inſtituit reliquum vulgare per orbem.
Luxus prima mali labes: hunc fœda libido
Conſequitur,Dapibus largoq,accenſa Lyæo.
Atq; ea ſacrorum Proceres *magnoſq; Tetrarchas*
Fax prior inuaſit. Proh *non æquabile pœna*
Crimen tartarea, noſtro quoq; fulmine maius!
Quos ego Patronos defenſoreſq; paraui
Iuſtitiæ, Fidei, *Pietatis, Honoris: ab iſdem,*
Heu ſcelus indignum;primis violantur auorũ,
Et noſtræ leges. primus metuenda Sacerdos,
Et populi cuſtos,& propugnator Honeſti,
Iura pudicitiæ temerant. non ſi qua verendum
Iurauit matrona torum, non ſi qua Tonantem
Sponſum *virgo ſuũ clamat; fugit vlla nefãdas*
Inceſtaſq;manus. I nunc mirare leænas,
Sanguineoſq; *lupos, caulas intrare patentes,*
Et tenerum laniare pecus: cum paſtor in agnos
Sæuierit trux ante ſuos; acreſq; moloſsi,
Quem ſeruare gregem, quem cuſtodire decebat,
Infidi, immemores, paſtorum exempla ſecuti,
Prodant, *perdant, proijciant. Age,dira cruentã*
Peſtis auaritiam, nummo fallente creauit,
Vt quas luxuries incauta profundit, eaſdem
Præda refundat opes. ſedenim ſceleratus habẽdi
Tantum creſcit amor,quantum decreſcit egentũ
Cenſus iners. quo plura vorax abſorbet hiatus,

Hoc

Hoc semper vacuus magis est:implēda supersunt,
Quæ nimis implentur; si non impleta fuissent,
Plena futura magis. Finis iam nulla petendi,
Nullus cogendi retinet pudor: aspera blandis
Misceri,precibusq; minæ: quodcunq;repenso
Argento crimen redimi: si crimina desunt,
Criminis instar opes, & prædia culta videri.
Sis licet innocuus, saluum tamen esse negatur:
Te pretiosa domus, te plenior arca nocentem,
Te faciunt tua rura reum. Quid fœda relatu
Funera, quid cędes pergam narrare nefandas,
Quæ vel turpis amor peperit,vel turpior auri
Execranda fames? Non extinxisse propinquos,
Non mensę violasse fidem, non sanguine castos
Conspersisse toros, maiestatemq; verendi
Numinis illusisse sat est. etiam mea carpunt
Dogmata, & inuiso faciunt conuicia Cœlo.
Scilicet hoc restabat adhuc, vt cladibus Orbem
Postquā complessent,nobis quoq;bella mouerent.
Quæ non impietas, sexcentos vsq; per annos,
In populum bacchata meum est, animosq; piorū
Perculit, Argiuis quæ non sit missa lacertis?
Vos,quibus imperium vasti permisimus Orbis,
Et nostrā regnare vicem,meminisse necesse est,
Quas et quā multas mihi Græca superbia clades
Excierit,quantumq; hominum demiserit Orco.
Quæ scelerū portenta vnus crepat Arrius? vnus
Nestorius? quantasq; trahunt in prona cateruas
Simpliciorū hominū, præeuntia signa sequentū?
Vsq;

Vsq; adeo, dum tota ruat post terga suorum
Attica gens procerum, ritus amplexa nefandos,
Et rarus nostras operatur cultor ad aras,
Quin etiam pueri, vestigia fœda parentum
Ingressi, laxis pessum rapiuntur habenis;
Et me spes etiam venientis deserit aui.
Ac possum tamen ista pati: quod Græcia natos
Despiciat curare suos; quod tradere nostras
Contemnat leges, & si est ingrata, remitto:
Non ferio, non vlciscor, non fulmina libro.
Tempus erit, duras isto pro crimine pœnas
Cum dabis, & vanis feries clamoribus auras,
Pignoribus viduanda tuis. (Miserabile visu)
Rex ferus infantes, genitricis ab vbere raptos,
Barbarico educet cultu, cogetq; superbus
Militiæ seruire suæ. Quam tristia mallent
Pignora non genuisse patres! iniuria quanto
Constabit miseris! propria quā morte redēptā
Optabunt frustra. Quod me violentius vrit,
Et magis indignor; temeraria lingua verēdos
Non metuit culpare toros, sanctamq; Parentem
Indignis lacerare modis. Audete rogare,
Argiui Proceres, vt procuranda relinquam
Aedituis materna pijs cunabula. verum est.
Vocibus impuris Cœlo deducere viuam
Contendunt; & credo, sacros à labe penates
Seruabunt, dicentq; suas pro tempore laudes.
Imo ego Virgineam claris in nubibus Aedem
Iam dabo conspicuā, liquidumq; per aëra vectā

Aligerum manibus, Piceni *in littoris ora*
Constituam: magna quam religione colendam
Patres excipient Itali, maiore nepotes,
Et pia congestis onerabunt limina donis.
Hic te, Diua Parens, *centum subnixa columnis*
Templa æterna manēt; cunctisq; à finibus Orbis,
Qua piger inclamat cunctantia plausta Bootes,
Et qua Staurophoros *gelidæ contrarius Arcto,*
Ad gentes non dum fama peruenit Iberas,
Accedent trepidi curuato poplite Reges,
Et nostrum binos regnabit nomen in Orbes.
Iā mea quod cupitis subducere Templa rapinis,
Et sacrum nostro perfusum sanguine marmor
Non sinitis calcare Gothos: iniuria maior
Est mea, si Graius pergat curare minister,
Et late Assyrijs niteant altaria gemmis.
Non est grata Deo, quāquā cultissima, quāquā
Vndiq; purpureis animata coloribus ædes,
Et multo radians auro: si crimina mentem
Turpia contaminant. illa est gratissima nobis,
Quam syncerus amor, niueo sub pectore sedem
Condidit, arcana virtutum luce coruscam,
Quā nec habet Iudæa domum, nec Smirna, nec
Et mihi nequicquam toto speratur Eoo. (Argos.
Quid dico sperandū? etiam grauiora timendum
Hinc habeo, et videor multos habiturus in ānos.
Quæ iustas acuant stimulis maioribus iras:
Si tamen admitti grauius, si mente moueri
Consciriq; nefas animo crudelius vna
Impietate

Impietate poteſt. Veneris poſt furta nefanda,
Aut pulſos fratres, aut cæſum ſuſte parentem,
Poſt iura hoſpitij, poſt fœdera rupta ſodali,
Poſt conſanguinea reſperſos cæde penates,
Lingua ſonat polluta preces, vota impia pectus
Concipit obſeſſum furijs, & ſacra cruenta
Nō horrēt tractare manus. Atqui omnia cultu
Templa carere placet potius, quā Numina diris
Inuolui ſacris. malo ſine thuribus aras,
Et ſine voce choros: malo mihi ſqualeat Aedes:
Incruſtata ſitu, & rimis tecta alta fatiſcant,
Quam radiās fuluum ſpiret laqueare metallū,
Quam paries cocco niteat, quā marmore poſtes
Exultent. inuita Deum ſuſpiret imago,
Vel deſerta ſuis, vel non contenta profanis
Ritibus atq; aris. plus muta ſilentia cantu,
Plus amo Cimmerias infami luce tenebras.
Hunc odi plus nocte diem. Magis impia damno
Sacra miniſtrantum, diris imbuta venenis,
Impuraq; oblata manu, quam cæde parentum
Fœdari, vetitis quam iungi corpora tædis,
Quā vel in aduerſum regeri conuicia Cœlum.
Non graſſatores, obſeſſoreſq; viarum,
Qui ſpoliant, rapiunt, iugulant, ſemperq; recēti
Cæde madēt, quos sāguis alit, pretioue redēptus
Aduena: non tales, inquam, grauiore laceſſunt
Me ſcelere: arma mouet Graius peiora ſacerdos.
Namq; illi ſi multa patrant immania; ſacras
Horreſcunt libare dapes. reuerentia noſtri

Restat adhuc non nulla viris:inferre verentur
Dedecus hoc nobis ingens, vt sede sub vna
Plutonem Superis infando fœdere iungant,
Et grauius Plutone malum,scelus.Impius aute
Argolicus, doctor populi, templiq; sacerdos
Incestis manibus, polluto pectore, labris
Impuris è cælo audet traxisse Tonantem,
Et fœdus tractare Deum.Quid pigra morantur
Fulmina?quin totus circũ pluit ignibus Aether
Et scelus vltrici properat consumere flamma?
Num verear; si tela pudet cælestia, tantum
Ire abolere nefas, tactus exosa nefandos,
A stygio petere arma lacu?totamq; cauernis
Funditus effossis, immittere gentibus Aethnã?
Atq;adeo nunc tẽpus. Ades flamma excita fũdo
Vltrix tartareo. celeres erumpite fractis
Carceribus pestes Erebi, taboq; serenum
Sanguineo violate diem. duc sæua cohortes
Alecto: tecumq; pares in bella sorores
Cæca ruant: posita respiret mole Typhœus,
Et Phlegetonteas eiectans ore fauillas,
Ingratam quatiat miseris terroribus Hellen,
Secumq;obscurum rapiat violentus in Orcum.
Horret terra nefas, & ponere fœda laborat
Pondera.non illi, Scythico seruire tyranno,
Supplicium,sed munus erit, gratesq; rependet.
Talibus insultat Graÿs: sed proxima tanto
Intonuit fremitu Deus; vt commota fauentum
Corda metu, ciues defensoresq; Pelasgi,

Numinis

Numinis in faciem summisso vertice proni
Conciderint, & pacem humiles veniãq; precati,
Nec ferre iratos vultus, nec lumina contra
Tollere sustineant: donec consurgere iussos
Excussa iam nube Deus, iam fronte serena
Excipiens, iterum verbis affatur amicis.
Nũc agite ô fratres (nec enim fas dicere seruos,
Quos legi, regniq; volens in parte locaui;
Nec seruis Rex alta suis arcana recludit)
Ergo agite, horrendi solatia sumite casus.
Quamquam nulla meas prouincia fortius iras
Incitat, & Solymis Graecisq; extrema parabam
Supplicia, æternumq; iugũ: tamen ardua iuro
Templa Poli, & late fusas toto æthere flammas:
Si studeant purgare nefas, si cedat inanis
Ambitio, si turpe lucrum, si fœda voluptas,
Et veteres abigant eluto pectore culpas;
In melius reflexa cadent exordia. crudum
Seruitium miseris, & longa piacula paruis
Includam gyris, & mollia ferre iubebo
Imperia. Ipsa mihi duras in tempore pœnas
Impia gẽs Othomanna dabis pro cæde nefanda,
Pro raptis iterum Solymis, arisq; reuulsis,
Et pro vastatis horrenda clade Micenis.
Illustrem Rhiphea dabunt querceta colonum
Atq; ducem, toto qui funera spargat Eoo,
Qui tumidos Turcarum ausus, iramq; superbã
Audax Marte domet, sauũq; in vincla tyrannũ
Aurea conijciens, toto circumferat orbe

Inclusum cauea (qualis violenta leonum
Frenatur rabies,) lacerum crudeliter ora,
Ora manusq; ambas, populataq; tempora, raptis
Auribus, & truncas inhonesto vulnere nares.
Quod nisi pœniteat scelerum, durataq; nullus
Frangat corda dolor: Si pergis, Græcia, sæuam
Ire superba viam, qua te corrupta lubido
Præcipitem rapit; heu quales miserãda dolores
Hauseris, & quantos gemitus luctusq; ciebis
Incassum! Nec te melior fortuna manebit
Hesperos, & gelidis imposita trionibus Arctos;
Exemplo si forte parum commota recenti,
Has, tibi quas vltro vites, & pinguia rura
Tradimus, indigne nimium neglecta colono,
Aut non rite coles, insanis vsa magistris,
Aut segnem patiere situ durescere campum.
Sic ait, & terris oculos auertit Eois.
Irrupere truces in tecta superba tyranni,
Et totam subigunt miserandis cladibus Hellen.

M. Ant.

M. Ant. Bonciarii
GERARDVS,
siue
ARDIADOS
LIBRI DVO.

Ad Illustrissimum & Reuerendiss. Principem VOLFANGVM THEODORICVM Archiepiscopum Salspurgensem, & Sedis Apostolicæ Legatum perpetuum.

Præfatio.

NVnquam ego illorum consilium probaui Theodorice Princeps Illustrissime, qui libros quocumq; genere ab se compositos, ijs dedicant consecrant-

que,qui aut nullum,aut non graue de illis rebus iudiciũ ferre poſſũt. Cẽſebã enim, quod etiam nunc cenſeo, inter rem de qua ſcribimus, & eum cui librum inſcribimus, talem debere eſſe proportionem atq;conſensũ, qualẽ fer me requirimus inter hoc quod donatur & hominem illũ cui donatur. Ergo quemadmodũ ſtulte facere putaremus eũ,qui vel canes ad venandũ,vel falcones ad aucupandum, donaret homini maxime otioſo, ac Muſis dedito; ita non magnam iudicij laudem cõſequatur,ſi quis librum de Machinationibus atq;tormentis bellicis ad monachum aliquem aut heremitam mittat inſcriptum;neq; ſi alius ad Imperatorem Ducemque militum ſcribat opus de docenda grammatica,vel de arboribus ſerendis, vel de agenda vita in ſolitu-
dine.

dine. Oportet enim quod cuipiam gratum atque iucũdum esse volumus, hoc illius naturæ, instituto, professioni, si minus in totum, at maiore saltem ex parte respõdere. nec fere cuiquam placet disputatio earum rerum, à quarum tractatione ipsius animus, & susceptã vitæ institutio vehementer abhorreat. Quæ quidem cum ita sint, Benignissime, idemque Optime ac Præpotens Princeps, existimaui, hoc saltem vno nomine & causa, non incongruam, neque alienam visum iri à Celsitudine tua dedicationem meam. Cum enim Beatissimum Patrem Bernardum mihi sumpserim ad laudandum, qui non modo suam Galliam, & vestram Germaniam, sed nostram quoque Italiam, totamq; Europam fama Sanctitatis impleuit, par erat poëmatio meo

talem

talem Præſidem Tutoremq; adoptare, qui maxime S.Bernardum vita, exemplo,rebus geſtis exprimere videretur. Eum vero ſi vnum ex multis Pręſulum millibus legere oporteret, qui cum Celſitudine tua conferri poſſet, rarum ſeculis ſuperioribus, noſtro fortaſſe nullum reperiſſemus.

Nam quotus quiſque Principum potentiorum, de pietate, de chriſtiana beneficentia, de magnitudine animi, de regali magnificentia tecum contendere aut poteſt, aut curat? Notiores ſunt,quam vt per epiſtolam, loco minime opportuno,referri debeant illæ templorum moles,quas in media vrbe, quas per prouinciam extruxiſti, ornaſti, locupletaſti; & illa in primis quam Sacratisſimæ Cœlitum Ræginæ

ginæ conſecratam eſſe voluiſti, nouus Bernardus, qui Matrem Domini præcipuo deuotionis affectu venerandam atque colendam ſuſceperis. Taceo monachorũ Cœnobia, vel inſtaurata, vel à fundamentis erecta, & vectigalibus inſtructa: non memoro Ciuitatem publicis ædificijs exornatam, non iuncta pontibus altisſima flumina, non ſuffoſſos ad viarum compendia montes latisſimos, atq; aſperrimos. in quibus operum molibus vim pecuniæ immenſam, & conſumpſiſti antehac, & conſumis continenter. Tuum eſt illud verbum, quod te audio crebris vſurpare ſermonibus, Continuatas Principum ædificationes, duo maxima mala expellere ciuitatibus, Ignauiam, & Egeſtatem. Quæ cum omnia honeſtisſima ſunt, & incœptis Bernardi quam ſimillima,

millima, quippe qui vniuersum condendis dotandisque monasterijs patrimonium exhausit: tum illud mihi gloriosius videtur, & Bernardo similius, & Deo carius, expulsio illa tam celebris, tam insignis, tam omnium ore laudata pertinacium hęreticorum. Quod egregium & forte facinus, vt eximiam meretur laudem, sic propriam requirit historiam. Boni Superi! cur non ea ego ingenij facultate, non ea dicendi copia, non fortuna, non viribus sum instructus, vt me tanto ponderi sustinendo parem esse confidam? Facerem profecto Illustrissime ac Reuerendissime Antistes, vt ad tua vestigia persequenda reliquos Principes, vel gloriæ cupiditas inuitaret, vel stimulus pietatis vrgeret, vel fax ipsa orationis incenderet. Nunc precor Deum Optimum, immor-

immortalẽ, te vt diù ſoſpitem cõſeruet, paupertati perfugium, nobilitati exemplum, ſeculo decus & ornamentum. Ex Collegio Auguſto S. Bernardi, quod Peruſiæ ad nobilem iuuentutem bonis artibus informandam Præſul tui ſimillimus, & Celſitudini tuæ deditisſimus paucis ante annis inſtituit fouetque Neapolio Comitolus Peruſinus. Cal. Sex. CIƆ IƆ CIV.

Lectori

Lectori S.

MVLTI anni sunt, cum hoc nobis conditum est Poëmatium, nec in spem diuulgandi, sed in vsum recitandi ad S. Præsidis Bernardi solemnē ac festum diem. Itaq; non miraberis, Lector erudite, si offendes inter legendum nōnulla maxime communia, languida, prope puerilia. quale hoc sit in exemplum de itinere Gerardi per saltus Pyrenæos lib. I.

Iamq; iter emēsus placidū, iuga sūma Pyrenes
Lente carpebat, glacie concreta niuali,
Perq; diu saltus, & inhospita saxa vagatus,
Non explorato, qua duceret agmina, tractu,
Quando impressa solo vestigia nulla notantur,
Prospectumq; negat collectus in aëra nimbus:
Deuius hac illac vastis in montibus errat.

Illa etiam valde remissa & humilia mihi videntur, quæ paulo post sequuntur de Asmodeo in puerum pecuarium transformato.

Succinctus læuo turgebat sacculus armo,
Agrestis mollem quatiebat dextera thyrsum,
Et pastoralis pendebat fistula collo.

Quædam

Quædam autem per contrarium notabis tumida, inflata, redundantia, in quibus iuuenilem oſtentationem, aut affectationem facile agnoſcas, nec diffiteor tamen, eſſe viros harum rerum peritos, qui a me diſſentiant. Tu iudex eſto.

Dux populo ſpectante, datis dū cingitur armis;
Vidiſſes, valido loricam inducere tergo,
Et frontem galea, & clypeo munire ſiniſtram,
Et latus aurato læuum præcingier enſe.

Quorum ſimilia, & his peiora paſſim legentibus occurrent: plura tamen, vt ego arbitror, in primo libro, quam in ſecundo. Accedunt diſtortæ ad meum modum menſiones ſyllabarum, vt Stipis producta prima, Pluto correpta vltima, Gerardus prima communi, & alia generis eiuſdem. Quæ tamen cum olim iuuentus peccaſſet, nunc certa ratione maturior ætas probat tenetque. Illud fortaſſe magis abſurdum, quod Aedem non ſolum pro Templo, ſed etiam pro Penatibus priuatis vſurpaui: nec minus illud, quod Alpes voco non eas tantum, quæ Galliam, Italiamq; diſterminant, ſed eo vocabulo ſum abuſus ad alia montium cacumina, vt Pyre-

nes

nes, & Apennini. His accedunt hic pariter atq; alibi Recingo pro iterum Cingo, Recanto pro iterum Canto, sic Retexo, Redordior, Reperſequor, aliaq; nonnulla. Deniq; Opus vides iuuenile, tumultuariũ, & audiẽdo, non legendo paratũ. Cur ergo, inquies, aut nõ corrigis, aut non ſupprimis? De correctione ſerũ eſt, poſſumus viri abolere feruentioris ętatis fœturas: caſtigare autem & ornare vix poſſumus; cæci, arbitror, ne vix quidẽ. mihi certe in omnibus, ſed in poëticis potiſsimũ, longe facilius fuerit, aliã denuo cudere materiã, quã ſic hærere, atq; horas perdere circa veterẽ. Cur igitur nõ extinguimus, quẽ corrigere nolumus, & probare non poſſumus? an eſſe ſatius putamus filium viuere ad ignominiam, quã omnino non viuere? Nunquam equidem iſtuc putaui neq; velim. Quæ nam igitur edendi neceſsitas fuit? Conceſsi olim hunc Gerardum amicis, & popularibus ſummo ſtudio flagitantibus ad deſcribendum: nihil minus ſuſpicans, quam ne hoc fieret, quod eſt factum. Interiecto tempore ad nos redit

excuſus

exculus Bononiæ,typis ad speciem elegantissimis, ad vsum infidelissimis. æquabat prope versuum numerum multitudo peccatorum. Commotus sum ob duplicem caussam, & quod foras dedissent,& quod sic dedissent. Nec potui me continere, quin exclamarem: O infelicem Gerardum, de quo nõ melius meriti sunt, qui vitam illi reddere studuerunt, quam qui interficere crudeliter conati erant! O illum & dum inter hostes, & dum inter ciues versatur, æque miserandum! & fidem Deum, fidem hominum implorantem! Sed illum antea beatissimus, P. Bernardus ab hostium iniurijs liberauit frater fratrem: ego nunc a ciuium beneficijs tueri habeo, pater filium. Sic vterq; Gerardo nostro æqualiter cõsuluerimus, ille mortem amoliens, quam latrones parabant; ego vitam adimens, quam amici tradiderant. Hęc te humanissime Lector, in vestibulo ipso cognoscere volui, vt si tamẽ legendo pergere vltra velles, & interiora fastidires; operi male constructo esses infensior, non a me alienior. Bene vale.

AD GERARDVM,

Cuius vitam S. Bernardus periculo liberauit, M. Antonius negligenter excusam recudit.

F. C. P.

O miser, ô felix! miser es, quia pectus hianti
Vulnere perfossum, barbara iura premũt.
Nec minus ex illo es: quoniã descriptor in auras
Affectum plaga te grauiore dedit.
Cur igitur felix? primum quia vincula Frater
Soluit, & ad cœtus aggregat inde suos:
Deniq; quod sanũ, vegetum, nitidumq; paternus
Te calamus vita dat meliore frui.
Sic tibi libertas duplex indepta Gerarde.
Illa fuit Fratris munus, & ista Patris.

M. Ant. Bonciarii
GERARDVS,
sive
ARDIADOS
LIBER PRIMVS.

Argumentum.

Damnat Heremicolas tumido sermone Gerardus,
Et stolidos segnesq; vocat. Bernardus in illum
Inuehitur, casumq; homini præmõstrat acerbũ
Impendere, altum læuo sub pectore vulnus.
Sed frustra. Stygius iuuenem dux ante paratas
Trudit in insidias,& duro marte fatigat.
Deniq; confossum, spolijs auroq; potiti,
Latrones rapiunt,ferroq; & carcere frenant.

MILITIS ingentes fastus, animumq; ferocem
Dicere mens ardet. qui relligiosa piorum
Concilia, & sanctos cœtus dum despicit amens;
Vlciscente Deo, duros sæuosq; labores
Pertulit infelix: donec pia Numina supplex

R Implorans,

Implorans, veniamq; rogans, in sacra receptus
Agmina, per Fratrē Diuis adscribitur. Hoc tu
Da Pater insigni factum memorare Camena
Bernarde, & paruis includere grādia chartis.
Da, laudes celebrare tuas, da dicere carmen,
Quale olim fama est, Clara te valle canentem,
Siluestres mouisse feras; vel quale refundens
Vallis opaca, tuas referebat ad æthera voces.
Tu quoque, quem secli decus admirabile nostri
Fert Europæas celeberrima fama per vrbes,
Clarorū Antistes Procerū Volfange, superno
Delapsus Cœlo populos frenare rebelles,
Et seruare pios, quo Salspurgense triumphat
Iure solum, felixq; alto se tollit alumno:
Dexter ades, Diuum laudes atq; acta canenti,
Susceptumq; vna mecum decurre laborem.
Delius obliquo dum tempora certa rotatu
Dirigit, vndenos bis iam compleuerat annos,
Ex quo Bernardus grauida genitricis ab aluo
Prodierat, clara ducens ab origine nomen,
Qua se præ reliquis Burgūdia iactat alumnis:
Cum pietate ardens, patrijs deuellitur oris,
Et fugit ad siluas, rigidi sectator Honesti,
Tartareos certus laqueos, dulcique veneno
Imbutas fraudes maturo eludere saltu:
Indomitumq; premēs forti moderamine corpus;
Frena sui, facilesq; alij committit habenas,
Et terno stringit iuuenilia pectora voto.
Hic ille interna Superos, noctemq; diemq;

Voce

Voce fatigabat : luxu si posset eodem
Abductos fratres , virtutis in ardua secum
Tollere ; & immani feliciter hoste repulso ,
Cognatas animas transcribere victor Olympo .
Annuit his Christus votis , ipsumq; parentem
Cum grege natorum , meliori credere Nato
Iussit, & in sacris ætatem degere claustris .
Vnus erat forma insignis , viridiq; iuuenta,
Cuius sanguineum spirabant pectora Martẽ ,
Multaq; collatis ingentia fecerat armis .
At scelerum fœda illuuies, miserandaq; mentem
Ambitio tenuit , laudisq; insana cupido .
Gerardo nomen iuueni fuit. iste suorum
Consilium , vitamq; ferox illudere suetus ,
His vltro exagitat dictis , atq; increpat vltro .
Quis furor ô Fratres ? quæ tanta insania mẽtẽ
Occupat , vt patrios libeat damnare Penates ,
Ciuilesq; habitus, cultusq; odisse decoros ?
Et cæcas subter caueas , nemorumq; tenebras
Degere more feræ? Magnus cum discidit Orbem
Iuppiter, & certo discreuit limite Mundum ,
Omnia constituit proprios animalia fines
Incolere, & socios non conturbare penates ,
Sat cõtẽta suis. Liquidis exultat in vndis (cres
Squamigerũ omne genus: pictas per inane volu
Penna leuat : solidas animantia cetera terras ;
Non vna sed lege premunt: expertia mentis
In stabula & siluas adigit natura : capacem
Numinis & cœli, quem tollere iussit in altum

Ora, nec ad viles inflectere lumina terras,
Regnatorem hominẽ celebres habitare per vrbes
Imperat: antra feris, & lustra relinquere: siluas
Quadrupedũ esse domos, nõ nostra cubilia. Quod
Labentes etiam gelidis a fontibus amnes (si
Hauriat, & molli non irriget ora Lyæo:
Si metat intonsas furtiuo pollice rupes;
Et male seclusas humanis vsibus herbas
Deuoret: excussa si verberet ilice glandes,
Si baccas, si corna legat: si pergat agrestes
Defraudare feras pariter victuq; locoque: (le,
Quis putet illũ hominẽ? quis nõ brutescere mal-
Si sit homo? & nostra vitam præferre ferarũ?
Ah pudeat ratione vsos, rationis egentum
Fœda exempla sequi: pudeat post secula mille
Frugibus inuentis, ad glandes velle reuerti.
Non ita maiores nostros bellator Oardus
Instituit, genus vnde trahunt, nomenq; vetustũ
Ardiada, proles inter fortissima Celtas.
Ille olim (memini patrem narrare frequenter,
Et Patri *narrarat auus) cum tota tumultu*
Gallia Vandalico rueret, martemq; ferocem
Sistere nec vi, nec precibus, nec fœdere possent:
Vnus in hostiles ausus prorumpere turmas,
Ferro iter expediens, ipsum stetit ante tribunal
Intrepidus, strictoq; Ducem mucrone lacessit,
Congressumq; necat. cœptis audacibus æqua
Fors fuit. improperata retro vestigia torquens,
Ad ciues rediit spoliis insignis opimis,
Et

Et virtute vrbem, libertatemq; redemit.
Qui si cessaret pigris ignauus in aruis,
Offensus stridore tubæ, martemq; cruentum
Horreret trepidus: nostras impune per vrbes
Iura daret, legesq; ferox imponeret Hunnus.
Terraq; nequicquam speraret Galla *salutem.*
Talia iactanti, rabidos compescere motus
Indocili, & qua Martis amor, qua fœda libido,
Atq; aliæ vrgerent pestes, per cæca ruenti,
Hæc quōdam Bernardus ait. Si pectore fixū est,
Nec tua mutari potis est sententia mentis;
Audi, quæ moneo Gerarde; & corde sub imo
Conde memor. Tempus veniet cū ferrea pectus
Lancea, corq; istud feriet: quo nulla penetrant
Spicula, siderea Dominus *quæ mittit ab arce.*
Tela viā inueniēt, tua quā male firma voluntas
Obstruit, & rigido præfultam robore sepsit.
Ah quos tunc gemitus alto de corde petitos,
Qualia vota Deo *geminabis, & aëra quanto*
Impelles fremitu, furijs accensus & ira!
Quin etiam adductis contundes pectora palmis,
Si tamen adductis poteris contundere palmis,
Nec tibi fors etiam solatia dura negabit.
Tunc me audisse voles, tunc despexisse pigebit
Fraternos monitus, tumidas tunc pectoris iras
Oderis, & te nequicquam damnabis in illis.
Quod si vulnifico mens expectatur ab hoste,
Et sapere hac mercede iuuat; si te ante necesse est
Mars domet, et ferrū cædesq; redarguat: haud iā

Increpo: perge ferox paci præponere bellum,
Nos cõtemne humiles, tu fulge sæuus in armis.
Ac quando ista tuo debenda est gratia Marti;
Bella cole et Martem; meritũq; repende merẽti
Præscius; hoc saltem ne sis ingratus in vno.
Mox ego. Sed vocem reprimam. diuina mouere
Vltra arcana nefas. Hic presso obmutuit ore.
Ridet ad hæc amens iuuenis, dictisq; repugnat,
Propositumq; premit, vitamq; incusat inertem:
Nec plus fraternis precibusue minisue moue-
Quã si marmoreo rigeãt in pectore cautes, (tur
Aut durum lateat circum præcordia ferrum.
Inde furore ardens, & cæco Martis amore,
Bellona stimulãte, hostes atq; arma requirit,
Bella tonat, ferrũq; parat, mortesq; minatur.
Mox celer exiliẽs, cura mordente subactus,
Longinquum molitur iter: quo fama ferebat
Egregios bello reges, Frãcum atq; Britannum,
Antiquis inter se odijs fera bella ciere.
Regnandi vesanus amor commorat vtrumque,
Alter & alterius ditione potirier ardent.
Ergo moræ impatiens furiata mente Gerardus
Huc ruit atque illuc: nescit mens ægra quietem
Carpere, nec placidos in longũ ducere somnos.
Ante parat, præsens quæcunq; exposceret vsus,
Armigerosque legit, comitesq; ducesq; viarum:
Hinc populo spectante datis accingitur armis.
Vidisses, valido loricam inducere tergo;
Et frontem galea, & clypeo munire sinistram,

Et

Et latus aurato lauum præcingier ense.
Iam parte ex alia phaleris ostroq; superbum
Adduci alipedem, fuluum sub dentibus aurum
Mandentem,patulisq;efflantem naribus ignẽ.
Ille manu crines,tumefactaq;pectora mulcens,
Perfrenata leues vt colla reduxit habenas,
Arduus in pictum librato corpore tergum
Emicat: & vibrans aurata cuspide pinum,
Infert se placide stringens calcaribus armos.
Atq;hic quadrupedẽ gressus glomerare suꝑbos,
Et campo insultare docet.iuuat orbibus orbes
Nectere,& impresso duplicare volumina gyro;
Mox ruere, & rapido cõsurgere in aëra saltu.
Vadit deinde ferox,equitum cingente corona
Lectorum iuuenum,medias impune per vrbes,
Perq; auidas late gentes, populosq; feroces.
Et quacunque agmen,ferroq; auroq; coruscum
Inducit, vulgo imbelli metuenda voluptas
Obijcitur, gratum radiantia tela timorem
Spirant,iucundisq;animũ terroribus implent.
Scilicet attonitum dulci formidine pectus
Dum noua pertentat facies; mens leniter icta,
Qua specie fruitur, specie mordetur eadem,
Et re conficitur, simul & recreatur in vna.
Iamq; iter emẽsus placidũ,iuga sũma Pyrenes
Lente carpebat, glacie concreta niuali:
Perq;diu saltus, & inhospita saxa vagatus,
Non explorato,qua duceret agmina,tractu:
Quando impressa solo vestigia nulla notantur,
Pre-

Prospectumq; negat collectus in aëra nimbus:
Deuius hac illac vastis in montibus errat.
Improbus hac inter stygia de prole minister,
Cui cordi cades, & amor sceleratus habendi,
Inuisus gradiens, Gallos comitatur euntes,
Gerardo infensus, Bernardo infensior. vna
Vlturus ratione duos, momenta nocendi
Callidus expendit, mentemq; per omnia versat.
Cui simul explendi spes est accensa furoris,
Indutus tenerum densato ex aëre corpus,
Explicat exangues rugas, barbamq; petulcam
Introrsum cobibet, mentumq; imberbe refingit,
Hinc fera capripedes imitãtia cruscula faunos
Læuigat: adiectaq; iubens pinguescere sura,
Longius extensa figit vestigia planta.
Decrescunt vngues, decrescunt cornua. Iamq;
Vix extrema patent: par rimula prodit vtrũq;
Qua caput impexũ, qua pes male cõditur imus.
Succinctus læuo turgebat sacculus armo;
Agrestis mollem quatiebat dextera thyrsum,
Et pastoralis pendebat fistula collo.
Sic puer apparet pecuarius. O tua quantum
Reclamat forma improbitas, & discrepat ætas!
Neutrum te decuit; nimiũ mentitus vtrũq; es.
Ten' puerum facias, vincentem exordia rerum,
Et Chaos antiquũ, & primi incunabula mũdi,
Cum senioq; pares voluentem pectore fraudes?
Ten' vero curare greges, pecudesq; tueri,
Perfide, qui pleno insidias moliris ouili,

Et

Et rabidus circum caulas fremis ore cruento?
Et te pastorem vis, custodemq; vocari,
Euincant cum facta lupum? Sic se obuius offert
Agmini inerranti, frontem turbatus & ora:
Ac prior; Heus inquit, iuuenes monstrate per
Vidistis si qua saltus errare iuuencã, (amplos
Impositum quæ forte iugum ceruice rebelli
Excutit indocilis, claudumq; relinquit aratrũ
Compare subtracto, & cursu petit auia mõtes,
Altorem frustrata suum, frustrata bubulcum.
Gerardus contra, Nulla est mihi visa per alpes
Acta iuuenca Puer. *nõ hic hominumue boumue*
Iam dudum facta adspicio: per lustra ferarum
Per concreta gelu, nimbosaq; culmina montis
Erramus dubij: nullum nos excipit antrum,
Nullum molle solum; premit inclemẽtia Cœli.
Dic age per Dryades, mõtanaq; Numina Panes,
Atq; per infaustos Nymphæ Bebricidos ignes,
Vnde Pyrenei duxerunt nomina saltus,
Hospitis Alcidæ crimen: qui Virginis Vmbræ
Id pretium dempta pro virginitate rependit,
Dic, ad belligeros quæ semita ducat Iberos
Mitior; ac si tecta vagis optata negantur;
Et nullæ refouent languentia corpora plumæ;
Dic saltẽ, qua gramen equis, & pabula præsens
Argentum nobis redimat. Da stramina fessis
Subijcienda puer membris. Sunt munera nobis
Apta tibi: pictæ vestes, habilesq; sagittæ,
Seu damas libeat, seu grandes figere ceruos.

Olli

Olli respondit fraudisq; doliq, repertor.
Tela Pyrenais non sunt pastoribus ista, (agros
Quę memoras, optanda nimis. Mihi cura per
Custodire pecus; tortaq; inuadere funda,
Vel cæco incautas laqueo captare volucres.
Nec nobis vllum tua purpura præbeat vsum:
Grex non ingratus cultori vellera donat,
Vellera fucatos non ementita colores,
Sed confessa suos. At vos quæcunq; fatigat
Fors dura, inuisos Cœlestibus haud puto: quãdo
Me monstrare viam, cæcosq; recludere saltus
Sorte datũ, & pingues nõ longe ostẽdere cãpos.
Ergo agite in læuum faciles auertite gressus,
Et qua se nitidas (hic aëra reddit apertum
Nubibus excussis) mons ille attollit in auras,
Clementer crescente iugo, contendite. Dixit,
Atq; abit. Ignari grates pro munere tanto
Reddere monstrato tendentes tramite Galli.
Nec fuit ire labor. subsedisse alta Pyrene
Dicitur impulsu Sathanæ, propiusq; profundo
Concessisse. nouis quatitur terroribus Orcus.
Pirithousq; patrem monuisse Ixiona primus
Creditur: Ixion motus non senserat vllos,
Credo, quod æternũ celeres reuolutus in orbes,
Vsq; putet sursum versum secum omnia ferri.
Ast alij trepidare metu, totoq; frementes
Ire Acheronte, nigras vrgẽtes questibus auras.
Iam non pendere, vt quondã, similemq; cadenti
Stare, sed ex vero ruituram in Tartara molem
Terrai,

Terrai, & vasto pressuram pondere Manes,
Contra alacres Galli fastigia mollia carpunt,
Et tandem aërij potiuntur vertice montis.
Hinc alte populi circumspectantur Hiberi,
Confusosq; patens oculis disterminat aër,
Qua Tagus aurifera pratexit arundine ripas,
Et flauum Nereo fert, grata tributa, metallum.
Excipit a læua, quam purus & integer auget
Iuppiter, Herculeis vicinior ora Columnis,
Qua gerit omnigeno congestum munere cornu,
Per Turdetanos incedens Copia *campos:*
Et *Turdetanis non concessura Saguntos*
Infelix Fidei, sed bello maior & armis.
Hinc nitet ante alias argento insignis & ostro
Hispalis, & ternos ostentans Corduba Vates:
E frustra Antipodas conata abscondere Calpe.
Qua Pater Oceanus, *tenero perculsus amore,*
Coniugis amplexus repetit; medioq; receptus
Exultat gremio, fæcundaq; viscera complet.
Contra iacent gelidis dominata trionibus arua,
Cantabrico propiora freto; quo cuncta coire
Auxilia, aduersis pestem latura Britannis;
Rex iubet. ad Regem quo se conferre Gerardus
Heu frustra properat sociasq; adiungere vires.
Ecce autem læti dum summa cacumina vincũt,
Cedentis post terga iugi radice sub ipsa
Conspexere cauam tenui discrimine vallem,
Seclusam nemori obscuro, siluisq; propinquis.
Est sinus, auratis qua se Sol *tollit* Eois,
Anfractu

Anfractu vario, leuiter curuatus in orbem.
Ostia prima rigent scopulis extantibus: inde
Excipit angustus, qui ducit ad infima, Callis:
Hinc atq; hinc late dumis ac sentibus horrens.
Defendunt vtrinque latus tecti arbore densa
Colles perpetui. praeceps a fronte vorago
Occurrit, circumpendentibus aspera saxis.
Herbidus in medio florescit campus, amico
Lustratus radio Phœbi, qui plurimus vltra
Insinuat sese: partes quoq; permeat imas,
Et puros grauido Telluris ab vbere fontes
Eliciens, viuo turgentia germina succo
Largus alit. gaudet vitalibus aucta pruinis
Herba virẽs, reliquas cũ frigus adureret Al-
Grataq; puniceo Matrẽ distinguit amictu. (pes.
Apta fatigatis post longa incommoda sedes
Visa: & qua fauces aditusq; intrare malignos,
Spes malesuada iubet; pictisq; recumbere lectis
Inuitat, Zephyris impulsa tepentibus herba,
Et vocat argutis illabens vnda susurris:
Primus iter Gerardus init. Ter limine in ipso
Consternatus Equus, durae praesagia sortis
Infremuit, retulitq; pedem: ter conscia fati,
Flebile confusis responsat vocibus Echo.
Nullis ille tamen monstris, nullisq; retentus
Prodigÿs praeibat ouans. succedere miles
Approperat, subeũtq; cauas lõgo ordine fauces.
Admissi arma graues ponunt, fusiq; per herbam
Indulgent epulis, & languida corpora curant.
At

At ferus humano satiandus sanguine serpens:
Qui dudum falsa sub imagine luserat agmen;
Vt facilem sensit primo adspirare labori
Fortunam, & fraudes feliciter ire secundas;
Ad reliquum se accingit opus, cæcasq; latebras
Altorum ingressus nemorũ, parat inde trecẽtos
Sanguineos excire viros: quos certa rapinæ
Spes adigit tentare nefas, & stringere ferrum
In quoscunq; illac fortuna inimica tulisset:
Atq; hæc mentito fallax mærore precatur.
Suppetias misero, vestris in montibus orto,
Egregij bello iuuenes. Gens impia nostrum
Deprędata gregem, molles secura per herbas
Discubuit, tenerosq; vorans, mea viscera, fœtus,
Insultat puero, fustemq; impingit inermi.
Non vos officij, susceptorumq; laborum
Præmia parua manent: pictai vestis & auri
Diues ager, medijs insertum floribus ostrum,
Et late ostentat fusas per gramina Gazas.
Sic ait, atq; auidas obliquo tramite turmas
Ad loca deducit, meditatæ accommoda fraudi.
Tum iubet obsessos a parte vrgerier omni,
Dum nil tale timẽt, dapibusq; onerãtur opimis.
Iam faxo reuomãt epulas cũ sanguine mixtas,
Et Cereri Bellona, & Mars succedat Iaccho:
Ringaris Bernarde licet. Quæ dira minatus
Occulto inspergens auidissima corda veneno,
Spes acuit, tollitq; animos, atq; aggerat iras.
Illi se prædæ accingunt, pugnamq; capessunt.
Obũ-

Obijciunt alij sese ad diuortia nota,
Totumq; armato saltum custode coronant:
Necunde effugium clausis in tuta pateret
Arua per anfractus, sinuosaq; bracchia montis.
Tum iaculis instructæ acies euadere in altos
Valli impendentes tumulos, pugnamq; ciere
Eminus, adducto flectentes cornua neruo,
Aut impellentes validis hastile lacertis.
Et nulla incassum frustraue cadentia torquent
Spicula, per pronum grauiori concita lapsu,
In circumscriptos angusto limite Gallos.
Quid pauci facerent contra tot tela, tot hostes?
Quid fessi aduersus validos? Quid cōtra feroces,
Assuetosq; locis trepidi ignariq; locorum?
Hi vero, quoniam euadendi nulla potestas,
Nullaq; vincendi suberat spes, agmina contra
Distringunt gladios, paruus licet vsus in illis,
Et scuta opponunt, & iniquo marte resistunt,
Ne segnes caderent, neu sic morerentur inulti.
Dux ruit ante alios, nitidis insignior armis
Gerardus, strictoq; hostem mucrone lacessit
Impiger, egregiā properans per vulnera mortē.
Turba sed impauidos vultus, gladiosq; micantes
Dum trepidant, iactis bellum finire sagittis
Intendunt, certāq; petunt sine sanguine palmā.
Ergo è sublimi caderet cum ferreus imber
Missilium, nec se propiori credere pugnæ
Barbarus auderet; socios Gerardus in vnum
Contrahit, & factis verborum incendia miscēt
Auden-

Audendum dextra hortatur, mediosq; per hostes
Ferro irrumpēdū. Frustra; quādo aspra rupes
Arcet, & ancipiti fallit vestigia gressu.
Sic etiam longe iaculantem territat hostem.
Affluit interea latronum copia maior,
Et iacula intorquent hiberna grandine plura,
Queis per vtrūq; latus, per terga ꝑ ora cadētes,
Confodiunt (facies hosti miserabilis ipsi)
Alterum in alterius reuolutos sanguine Gallos,
Et fœde maculant prostrata cadauera campū.
Iam non ipsa suo conuallis honore superbit.
Alpinis prælata iugis, prælata ruinis
Frustra: nunc rigidis sæuisq; immanior antris.
Horret ager telis: auertit lumina Titan:
Tristè sonant vnda, mœstūq; per auia murmur
Ingeminant: neu suppeditent alimenta nefastis
Arboribus; querulæ fugiūt ꝑ gramina lymphæ
Nec, quāquam rutilo bis murice tincta, nitescit
Herba, sed inflexo labens a vertice culmo,
Telluris gremio matris tremefacta recumbit.
Gerardum siue arma diu meliora tuentur,
Seu Bernardus eum casus comitatur in omnes.
Ergo vnus pugnam iuuenili ardore ciebat
Eminus, ore fremēs. petitur tot ab hostibus vnus,
Et terrere parat. nunc tela immissa retorquet
Acer in aduersum nitens; nunc stridula in altū
Saxa rotat, tentatq; globos turbare ruentum.
Demens, qui tales, ac tanta cæde cruentos,
Et iaculo intento ceruicibus impendentes,

S *Vnus*

Vnus tam multos propellere fideret hostes.
Quin etiam telis a colle repulsus vtroque,
Ausus per medias aditum tentare cateruas,
Qua celer obducto praecluserat obice fauces,
Hoc metuens hostis;factoq;ad limina vallo,
Saxa super glebasq; altas de montibus ornos
Voluerat, & celsa stabat tutissimus arce.
Non tamẽ obstantes cuneos,non arma locumue
Horrescens,ira stimulos addente, Gerardus
Fraxineam quatiens aeratae cuspidis hastam,
Ibat in aduersos: cum spicula mille per auras
Emicuere, virum ferientibus omnibus vnum.
Sed neque se quisquam campo credebat aperto,
Contenti longis praeacuta cuspide contis,
Aut saxis, sudibusue aditu prohibere furentẽ:
Et miser in vacuum vires iactabat inanes.
Iam liquidus mixto cũ sanguine sudor ad imos
Manabat talos. vix lubrica sustinet arma
Dextera deficiens; nec gressum tendere contra
Iã potis est. Galeã interea super-intonat ingens
Saxorum grando, & tumidas de vertice cristas
Excutit;eiectumque, cauo dum cassidis alueo
Stringitur, vndantem cogit bibere ora cruorẽ.
Oppositus vero telis non sufficit vmbo:
Quẽ laeua horrisonos cũ circumferret ad ictus
Iam grauis,et corpus iaculis praeberet apertũ:
Protinus Harpagon(ductor fuit iste latronum,
Incola siluarum, & primis grassator ab annis
Impiger. hũc furto genitum Campana Melãpe
Alpinas

Alpinas inter quercus enixa ferasque
Edidit, Alpinas vincentem robore quercus,
Seuitiaq; feras:) hic tum rimatus ab alto,
Qua vulnus lethale rotãs ferat, emicat ardens,
Proturbatq; alios: hinc summa librat ab aure
Aërium per iter, fatale in pectora telum
Incauto iuueni, vix lãguida membra regenti,
Et latus infesto penetrat mucrone sinistrum.
Illico semianimis sua pronus in arma Gerar-
Candida purpureo respsus mẽbra cruore, (dus,
Concidit; & speciem morientis prębuit hosti.
Prosilit ergo alacer, vocemq; ad sidera tollens,
Vicimus exclamat. confecti gloria belli
Me penes est: lętam mihi dat victoria palmã.
Nec mora: se iacit in mediũ, corpusque iacentis
Vindicat exemptum prędæ sibi; cetera sorti
Destinat, obscuros inter cernenda clientes.
Accedens igitur spolijs decorandus opimis
Impurus latro, palmas tendebat auaras;
Cũ (credo) indignũ facinus perferre Gerardus
Impatiens, linquentẽ animã reuocauit: & hostẽ
Occupat incautum, conditq; sub ilia ferrum.
Sternitur effundens atro cum sanguine vitam
Latro, suum primus votum damnare coactus,
Et detestatus confusis vocibus arma,
Raptori funesta suo. Mox nobilis vltor
Linqui animo rursus: vires languescere: ferrũ
Elabi manibus. Credo, vigor ille ferocis
Index ingenij, generosa & viuida virtus,

Vlta suũ Dominum, qua parte accurrerat, illa
Dum remeat, cordiq; timens, animæq; fugaci
Iniectura moras; alto se pectore condit,
Extremosq; artus, & frigida mẽbra relinquit.
Haud aliter quam cũ, deiectis mœnibus, hostes
Inuasere vrbem, & ciues Dux cogit in arcem,
Obiectoq; iubet vitam defendere muro.
Qui si de specula subeuntem incautius hostem
Prospicit, obsessis cladem exitiumq; minantem;
Exilit, occulte subiens, ferroq; superbum
Deijcit. hinc rapido fugiens pede conditur intro,
Excubiasq; agitat trepidus, molemq; tuetur.
Sic vis illa animi, facinus factura decorum,
Prodijt; & strato se protinus hoste recepit.
Post vbi nemo arcet, nemo irrũpentibus obstat;
Victrices toto decurrunt monte cateruæ
Latronum; & præda ingenti spolijsq; potiti,
Seminecẽ Gallum forti cõstringere nexu (ctis
Approperãt; manibusq; trahũt post terga reuin-
In specus horrendũ, ferroq; & carcere frenant.
Ille vbi vitales rediere in pectora sensus,
Quamuis se rigido sentiret compede vinctum,
Dentibus infrendens, & cæca percitus ira,
Sanguineã voluens aciẽ fremebundus vt ante,
Victores torua terrebat fronte latrones.
Qualis ob ereptam prope pascua læta iuuencã,
Indomita ceruice ferox, bacchatur in aruis
Igniuomus taurus, pauidosq; exterret agrestes.
Quem si forte alto nectentes vincula collo

Strinxere,

Strinxere, at triplici religarunt cornua fune;
Quamquã dẽpta omnis feriendi copia capto est,
Segne tamen metuit popularis inertia cornu,
Et fugit horribiles iaculantia lumina flãmas.
Non aliter concussæ animis, & pectore toto
Imbelles tremuere manus, cum lumina circum
Torua ferox iaceret, rabie gliscente, Gerardus:
Captiuumq; arctis constrictum membra catenis
Nequicquam timuere suum. Vix tollere contra
Frõtem audẽt, oculisq; oculos perferre minãtes.
Haud secus æquoreis Cæsar prædonibus olim
Incussisse metum captus narratur, ab ense
Cum raperet se Silla tuo, Romanus inermis
Pharmacusiacas ausus despexe cateruas.
Nec mora: compedibus non vna mole grauatis,
Gnauiter occluso discedunt carcere: seque
Ad partas referunt epulas, & corpora curant.

M. Ant. Bonciarii
GERARDVS,
siue
ARDIADOS LIBER SECVNDVS.

Argumentum.

DEtestans Martemq; suum, moresq; feroces
Gerardus, miseras dum iactat ad æthera voces,
Præoptatq; mori: melior delapsus ab alto
Spiritus, æternas cogit præuertere pœnas,
Et damnum pensare animæ. Pluit ergo tepētes
Ex oculis lacrymarum imbres: veniāq; precāti
Fert absens Bernardus opem, lepideq; superbū
Illudens, mutatum humiles admittit in ædes.

At ferus Ardiades gelido tum solus in antro
Iam foret, & spes nulla fugæ, spes nulla salutis
Fulgeret morituro: iram frenare parumper
Incipit. Ipse animo noctis circumfluus horror
Terribiles visu facies, casusq; suorum
Obijciens, varia ludebat imagine rerum.

Hoc

Hoc dolet in primis, hoc præter cetera mentem
Excruciat; comites crudeli cæde peremptos,
Qui nil peccassent, & se superesse nocentem:
Si modo fas hominem superesse, ac dicere viuũ,
Seruitio infando preßum, fœdoq; subactum
Imperio, & duris cõstrictum membra catenis.
Hos ergo infelix rumpebat pectore questus.
Huccine me tandẽ, Marte instigante, furores
Et fastus traxere mei? Quid pectoris ardor,
Quid mihi frõtis honos, inuictaq: dextera bello
Profuit? En pœnas scelerato a corde reposcunt
Vltrices Furiæ, sæuis armata colubris
Tisiphone, & duro Nemesis succincta flagello.
At saltem, quando fera munera militiai
Optaram stolidus; morerer per tela, per enses,
Neu sic detractis cecidissem inglorius armis.
Felices animæ, comitum pia turba meorum!
Quis pro me ferrũ stringẽtibus, inclyta parta est
Gloria, quam seri discent cantare nepotes.
Ast ego, tam sæuæ fuerim qui cladis origo,
Cur viuo infelix? quæ me ad maiora reseruant
Supplicia infensi Superi? cur pectus arundo
Cum foderet, nostro non exaturata cruore
Restitit, & cordi pariter vitæq; pepercit?
Sed mirum non est, cordi si spicula parcũt:
Mollior est quia corde chalybs. cordi aspera ce-
Spicula duritie: cor durius ære rigenti, (dunt
Durius est saxo, silicemq; adamantaq; vincit.
Vel potius Libycos vincit feritate leones,

Hircanasq; Tygres, pigram qui barbarus hastã
Contorsit . namq; vt possem superare dolori,
Et miserè vitam traherem, seroque perirem;
Non toto enisus librauit corpore telum;
Sed mortem metuens, vires iramq; repressit,
Iussaq; lethiferum moderantius impulit ictum,
Parcendo nocitura manus. Mea mitior illi
Dextra fuit, totum quæ sub pręcordia ferrum
Abdidit, & mortem hosti non inuidit honestam.
Attamẽ heu doctã pia reddere vulnera dextrã,
Inuictã detxrã (miserũ me) ad terga retractã
Ignauæ pressere manus, & fœda coërcent
Vincula, nec saltem clades auctore leuatur.
O si qua manicas nodosq; resolueret! illa,
Illa cruentato præcordia finderet vngue,
Cunctãtẽq; animã per vulnera truderet: & me
Non fineret diris cruciatibus interscindi.
Sic queritur, tremulisq; vrgẽs vlulatibus auras
Infremit: horrendis reboat mugitibus antrum.
Interea satiati epulis, largoq; Lyæo
Fœda cohors, auidas captiuo intendere mentes
Occipiunt, sperantq; ingens a corpore lucrum
Ingenuo: seu longinquas vendendus in oras,
Ad Thracũ rapitur, Getulorumue tyrannum;
Seu pretio ille suo redimat, pensoq; rependat
Vitam auro. Stabat mens omnibus vna: repẽte
Cum ferus insidias iterum molitur ab Orco
Ditis, & immittit nigris de fratribus acrem
Asmodeum tentare animos, & pectora magni

Al-

Alchemoris, frater fuit Alchemor Harpagōtis,
Sed patre Pellæo, matrem sortitus eandem:
Et fuit Harpagon tanti dux agminis, illi
Dum leuis exultat, sperataq; corripit arma;
Strenuus ancipiti suffoderat ilia cultro
Ardiades, seseque super coniecerat hostem.
Ergo hæc fraterno mentem perculsus amore
Alchemor, Asmodeo tætrum miscente venenum,
Differit. O Pyrenæij gens accola saltus,
Qui mecum Gallos, mecum terretis Iberos,
Audite, & nostris animos aduertite dictis,
Facturi quod vestra tamen sententia, non quod
Nostra refert, illi si non præponderat ista,
Et nimium meliora docet. Mihi vendier ære
Captiuum, siue ille alium portetur in orbem,
Seu multatum auro, patriæ carisq; propinquis
Reddimus; haud quaquam nobis hoc vtile duco.
Nā si quādo lares dabitur remigrare paternos;
Et proprijs adniti opibus, quas esse timendas,
Pugna facit pugnatā fidē: mora nulla, ferocem
Allobrogū gētem, Belgasq; ad signa propinquos
Exciet, & nostros venient populare penates:
Tanta viri virtus, tantum decus enitet ore,
Tam clari comites, tot equi, tāta inde supellex.
Quis non regali prognatum sanguine, quis non
Diuitijs pollentem amplis, & robore credat
Inuicto? At longe patrijs a finibus, vltra
Sauromatas, supra Tanaim, supraq; Niphatem
Si transportetur, magno pensabitur auro,
Nec

Nec nobis absens faciat curamue metumue.
Scilicet: est facile immensas errare per oras
Exulibus, nec multa manent terraq; mariq;
Vel metuenda pijs: ne nostra impune putemus
Facta fore, & vastum securos ire per Orbem.
Fac tamē incolumes gelidā venisse sub Arcton;
Fac penetrare Indos, largumq; a Regibus aurū
Hac pro merce dari. redimet se diues ab isdem
Regibus, & qui priuatis nos viribus ante
Oppressurus erat, regalibus insuper auctus
Auxilijs, Pyrenaeas hinc fortis & illinc
Vrgebit, vigili cingens indagine siluas.
Nec nos arma latent, duri quae semper agrestes
In nos prompta gerunt. tātū Dux impiger iras
Aggeret, & pedites, equites, tormēta ministret:
Illico finitimos à tergo, a fronte videbis
In saltum ruere, & flammis vltricibus altam
(Quod vetet auguriū Mauors) ardere Pyrenē,
Et nostris Gallum super-insultare ruinis.
Talis in Euboico dum nauigat aequore Caesar,
Cum piratarum sors auexisset in agmen,
Diues praeda fuit. sed enim quia nullus hiantem
Quaestus auaritiam saturat, semperq; recentes
Ora petunt ieiuna dapes, Mutaberis aiunt
Per nos viginti, iuuenis Romane, talentis.
Risit Caesar atrox, & quinquaginta rependi
Imperat; indignās pretio leuiore redemptum,
Horreret quod Roma caput. mox classibus equor
Mensus idem, captas felici Marte rapaces
Praedo-

Pradonum turmas, per littora longa Pelasgis
Infamem iussit pendere volucribus escam.
Ergo mihi pereat potius captiuus, & vnus,
Quam nos ille premat. pēdens animalia pascat
Bruta lacer, nostros vt pasta repascere ventres
Bruta queāt. nostra in lōgū prospeximus arca:
Nūc magis est quarēda salus. mors hospitis illā
Non aliud praestare potest. Verinè susurri,
Ambigua quos aure legoʾ quis verba dolentum
Indulget morituro? At vos mihi credite fidi
Militia comites, intempestiua dolores
Hæc dabit æternos pietas. nec parcere nostrum
Hoc imbelle facit vulgus. violēta professis (est.
Arma, licent quacunq; libent. aut exuat arma,
Qui vult esse pius. Quid si miserescere quēquā
Non veto? sed iubeo esse pios? estote, sed ipsis
Ante pij vobis. Fodiam tua viscera ferro
Galle, sed vltoris. poteram tibi parcere, si te
Scirem posse mihi. iam ne me sternere possis,
Ante cade: & qua me peteres, hanc oppete mor-
Qua tibi seruitium demet, regūq; catenas, (tē,
Et nobis vitam, libertatemq; rependet.
Assensere omnes sceleri, quod mane patrandum
Albescente iubent cœlo. tum corpora curant,
Atq; arcto vinosa coquunt conuiuia somno.
Gerardo interea nocturno frigore vulnus
Intumuit: perq; ossa tremēs diffunditur horror,
Exterretq; animum cura grauioris imago:
Ne quando stygiū praceps rapiatur in Orcum,

Et luat aeternos admiſſi criminis ignes.
Attollens igitur mœſtiſſima lumina Cœlo;
Lumina, cum fortes arcerent vincula palmas,
Lumina, queis dudum lacrymas fletũq; negabat
Preſſus corde dolor, nũc carcere miſſus ab imo,
Spe reſerãte fores, liquidas laxatur in vndas:
Talia voce refert. fateor, Rex maxime Regum,
Iure mihi & merito duros obtingere caſus,
Iure pati: plus me commiſſa piacula mordent,
Quã pœna cruciãt. Fateor meruiſſe. Sed heu me
Quid iuuat errores, merſa iam puppe, fateri?
Quid lacrymę delicta leuãt? Ante ante monenti
Parendum, Bernarde, fuit tibi: vox tua quando
Surdas nequicquam fratris tinniret ad aures.
Tum decuit ſentire nefas, greſſumq; referre.
Nunc iaceo inuiſus Superis, iaceãq; neceſſe eſt.
At tu Cœlipotens, Mundiq; redemptor IESV,
Qui cor exploras hominum, penituſq; repoſtas
In latebras per aperta venis, nec falleris vlli:
Reſpice de Cœlo noſtram in contraria mentem
Mutatam: & quãquã merui, ne parcere velles;
Parce tamen, ſæuoſq; lubens auerte dolores,
Et tua peccatum ſuperet clementia. ſi me
Pœnitet ex animo ſcelerum, ſi pectore toto
Aeſtuat accenſus diuini Numinis ardor,
Qui corde ex imo lacrymas ad lumina cogit.
Tuq; adeo preſſum duro ſub pondere fratrem,
Bernarde, adiuta. faciles tua vota ſecundant
Aeterni Superi: nullam patiere repulſam,

Quod

Quod mihi cūq;petas.Lacrimis donata ſororū,
Poſt quartum rediiſſe diem, corruptaq; tabo
Mēbra animaſſe iterū Bethani Principis Vm-
Fertur. Et egregio caruiſſent milite caſtra(bra
Chriſtiadū(quod te memini narrare frequētē)
Contra ſacrilegos diuini dogmatis hoſtes,
Atq; renaſcentem duplicatis viribus Hydram;
Hunc niſi præcipitem rabies Manichæa furētē
Deſereret,Dominuſq;ſuū transferret ad agmē,
Matre pias geminātē preces. pia femina Sāctū
Maternis emit lacrymis. Adiunge quod iſtos
Si non inuitos, ſaltem nil tale petentes
Seruauere ſui. Frater tibi ſupplicat, & te
Cum lacrymis gemituq;rogat.ne temne rogātē,
Da faciles,Bernarde, manus: age porrige dex-
Porrige conuerſo.noxas et mitte priores.(tram,
Eripe me tandem ſeruilibus eripe regnis.
Atq;ego,quod vitæ reliquū eſt,tibi dono ſacroq;
Fœdere perpetuo. Quæ vix extrema profatus,
Corde animoq;Deū recipit,paulo ante rebellis.
Iam prope nulla virū perſtringit cura caduci
Corporis:haud illum ſeu tetri carceris horror,
Seu dolor increſcens plagæ, ſeu certa futuræ
Mortis imago mouet. facta impia pectore ab
Eruit,& memori percurrit ſingula mēte. (imo
Hæc dolet,his veniā ſupplex implorat ab aſtris,
Aeternamq; alto ſuſpirat corde ſalutem.
O felix igitur iaculum, quod vulnera curat,
Dū facit!ô felix vulnus, quod pectora mulcet.

Non

Sponte sua. Totos se diffudere per artus
Et vigor & robur. tum cetera vulnera præsens
Aliger infuso curauit nectare. Tantum
Plaga riget, lateri quam lancea dura sinistro
Fecerat: hæc tantum non est obducta cicatrix
Consilio seruata Deûm, pro teste futura
Infaustæ ad vallem pugnæ, Martisq; cruenti.
Nec mora: deuulso procumbunt cardine postes,
Clatrati postes, & carceris ora patescunt.
Ille abit: & montes iterum camposq; remensus,
Post exantlatos noctesq; diesq;, labores
Innumeros; post mille hominū, post mille locorū
Oppositas fraudes, & mille pericula vitæ;
Incolumis tandem patrias reptauit ad oras.
Sed non sustinuit patrios intrare penates,
Et funestatam greßus inferre per vrbem,
Tam multis viduatam animis, tātaq; calentem
Cæde ducū; quos nō aut Martius abstulit ar-
Aut inopina lues, aut inclementia fati, (dor,
Sed promissa fides, improspera castra secutos
Impulit indigna miseros occumbere morti.
Adde quod exangues vultus, oculosq; iacentes
Et fœdam illuuie faciem, barbamq; rigentem
Introrsus fugiente gena, taboq; peremptum
Et macie corpus, properantis signa senectæ,
Non ausus charis offerre sodalibus vltro:
Longe iter a patria sacras conuertit ad ædes,
Clarior in Clara quas frater valle colebat,
Conuentusq; pios alia non arte regendi,
Quam

Dissimulas, miserumq; vocas? mentitus in illo,
Verus in hoc: miserũ, sed non & stipis egentem,
Poscentemq; vides. non est mortale, quod opto,
Cœlestes epulas, æternaq; pocula supplex
Oratum aduenio. cecidit temerarius ardor,
Et duris compressa modis insana libido,
Heu nimiũ bacchata diu: spes damnat inanes,
Et Cœlis inhiat, Superis deuota voluntas,
Nunc vinclis frenanda nouis. Concede roganti,
Quod iam nolẽti tuleras tamen. eia age frater.
Quid fratrem dico? meritos non implet honores
Fraternũ nomen: leuius mihi põdus in isto est.
Appellare Patrem malo: pater inclyte fratrũ,
Atq; adeo patris ipse tui pater, adde meorum
Me numero fratrum. fratrẽ dabis esse parenti,
Et natum fratri. pectus tamen omnibus vnum,
Mens erit vna, tuo scandentibus æthera ductu
Quid tibi frõs caperat? quid cãdida lumina tor-
Inficis adspectu? miserũ quid ludis amantẽ (uo
Longius, & speciem nõ agnoscentis adumbras?
Exue mendaces vultus, & frontis honorem
Indue: pelle atras nubes, & fulmina pone.
Talibus orantem dictis, & multa dolentem
Sustinet, obdurans animo Bernardus, & acri
Contuitus fratrem vultu, sic increpat ore.
Nõ pudet (heu) fœdos, & stirpis honore carẽtes,
Illusum venisse viros, a sanguine claros
Ardiadum, totis illustria nomina Celtis?
Tu mihi Gerardus? iurem, nullum esse Gerardo
Dissimilem magis. Ille feros in bella Britannos

Iam dudum late feruens, & pectoris æstum
Indocilis frenare diu, subitoq; profundens
Immensos lacrymarũ imbres, ad colla lacertos
Implicat, & longum satiat securus amorem,
Dulcia fraternis affigens oscula rugis.
Non aliter trabibus saxisq; coërcitus olim
Thybris, in obstantẽ si crebrior impetus vrget
M*ateriam, laxis in proxima fertur habenis,*
E*t pingues populatur agros, tantoq; superbit*
Amplior insultans victis, & libera iactans
Bracchia; quam fuerat luctamẽ inane furẽtis,
C*ontra repulsuras vndarum pondera moles.*
Nec mora: per fratrem frater cœlestibus armis
Induitur, sacrumq; volens adscriptus in agmẽ
M*ilitat, & magno persoluit vota Tonanti.*
QVAE tibi, grãde decus P*rocerũ Volfãge sacro*
Thybridis ad ripã, Tuscis P*erusinus in oris (rũ,*
Cantabat Vates, solo compulsus amore
Cœlicolum, solos D*omini meditatus honores,*
E*t laudes Bernarde tuas: cum nulla faueret*
Vraniæ, nullus carmen dictaret Apollo;
E*t nullus fureret circum præcordia Liber.*
Tu mihi pro M*usis* P*rinceps, tua mẽte reuoluens*
Inclyta facta, omnem iam diuulgata per O*rbẽ,*
E*t pariter seris tradenda nepotibus: illa,*
Illa, inquam, D*iuis feliciter acta secundis,*
T*e Duce, si studeam viuacibus indere fastis,*
E*t de te, numeris pariter, numeroq; solutis*
Vocibus, Annales æuo donare futuro:

Non metuam, ne me series pulcherrima rerum
Deserat, aut sterili decurrant carmina vena.
Seu genus antiquum referam, regalibus ortū
Auspicijs, claramque tuam per sæcula gentem:
Siue habitum potius, maiestatemq; decoram
Corporis & membrorū; aptā quā Numina sedē
Illustri fecere animæ, quod ponere certum
Exemplar cunctis vellent mortalibus. Inde
Seu dotes animi egregias, seu multa pararem
Dicere, priscorum pro relligione parentum,
Patrata, i... cepta, & reliquos cō lēda per annos,
Consilio disposta Deûm: quis verba canenti
Suffectura neget? grauido mihi pectore flumen
Rumperet eloquij, tua quod pia gesta per altum
Tolleret Oceanum, famæq; æterna dicaret.
Quippe argumentum rear immortale daturas
(Cetera si desint rerum monumenta tuarum)
Immensas operum moles, æquataq; Cœlo
Culmina templorū, montisq; per intima ferro
Viscera, laxatos in proxima littora calles:
Excessura fidem, nisi se facta ipsa probarent,
Et late immēsum cluerēt iam sparsa per Orbē.
Quid loquar extrusos diuini nominis hostes,
Eiectamq; luem regno? populosq; beatos,
Principe te, Sacris & pulchra pace fruentes?
Tu, donec fluuijs perfundere talibus Orbem,
Et fontes reserare nouos Volfange licebit;
Hos pius exiles non aspernabere riuos
Lambere, quos fidei donamus pignora nostræ.
Sic æterna tuis adspirent Numina votis.

M. Ant.

M. Ant. Bonciarij
HIEROPYLVS.

Carmen

DE SACRIS FORIBVS A CLEMENTE VIII. PONT. MAX. PATEFACTIS.

AD IVLIVM CAESAREM STELLAM eidem Pontifici a cubiculo intimo.

Argumentum
EX HORATII LOMBARDELLI Catalogo ſpiritualium ſcriptorum.

MARCVS ANTONIVS BONCIARIVS Peruſinus latinarum græcarumq; litterarum Doctor noſtris tẽporibus, variæ ſcientiæ, atq; animi fortitudinis rarum exemplum, ſcripſit heroico metro in ſacroſanctum hunc Annum ſexcenteſimum ſupra milleſimum, Poëma, cui titulum indidit, Græca efficta voce, HIEROPYLVM, perinde ac ſi dicas, De ſacris pa-

tefactis Foribus differentem. Ibi, ex probatifsimis Poëticæ Regulis, eius actionis ob oculos ponit apparatum; impedimenta à Dæmonum Principe commota; Victoriam per Michaëlem Archangelum partam; & Summi Pontificis ergà Fideles, ad Iubilæum vndecunquè terrarum cõfluentes, piam, & feruidam sedulitatem. Est opus vndequaque nobile, sublime, ac fulgens, affectu pollens, tam sanctis; quam eruditis conceptibus nitens, aculeis, & iaculis, in animos penetrantibus, redundans, vnde Lectores in prædulcem diuinarum rerũ amorem pertrahantur.

STELLA per Ausonias lux ô clarissima gentes,
Et Vates idem, spei & fidissima Vatum;
Aspice, quod cæcis olim damnata tenebris
Musa, sub aspectum lucemq; egressa secundam,
Fulgore illustrata tuo, dat carmen in auras:
Dum nouus exoriens, aurato lumine, Titan
Limite ab extremo longos reflectere gyros
Incipit, aduerso properans occurrere Cancro,

San-

Sanctumq; auspicijs reserat felicibus annum.
Annue tu cœptis, & cæcos dirige gressus
Aetherium ad Solem, ô nimium dilecte Tonanti
Barionade; ô sacræ custos & ianitor Aulæ,
Daque tuas cantare fores, & tela draconum
Angelica compressa manu; da Patris amorem,
Conatusq; pios grato vulgare per Orbem
Carmine: si fas est, si non indebita posco,
Si florere tuum gaudes, hoc Principe, regnum.
DENA recurrebant & sena, rotantibus astris,
Sæcula, Virginei post edita pignora ventris,
Instabatq; dies, lustris iam quinq; peractis,
Dicta refringendis a sancto Principe sanctis
Postibus, æternæ queis effunduntur in Orbem
Diuitiæ, largoq; pluunt ex æthere nimbo.
Iamq; aderant quæcunq; sacri mos exigit anni:
Accingunt Patres operi: pia rite parantur
Arma: diem paries visus culpare morantem,
Et cupere a Clemente mori, a Clemēte renasci.
Quod simul aduertit, mundi frenator opaci
Tartareus Pluto; stimulis agitatus acutis,
Nō temere hoc secū reputat. Nisi callidus obstet
Inijciatq; moras; non tam diuina recludi
Atria Christicolis, quā Tartara claudier isdē.
Accedit, stimulisq; animum non mollibus angit
Collecta ex longo rabies, quod pulsus ad Istrū
Sarmata, quod fortes coëant in fœdera Reges,
Et procul Hesperijs Discordia fugerit oris,
Aldobrandinæ Clemens victoria dextræ:

His super indomito succensus corda veneno.
Inuidus, impatiens Romano multa Parenti,
Multa Orbi, Cœloq; minãs hæc rumpere secum.
Roma, quid aduersus sẽper moliris Auernũ?
Teque mihi toto gaudes opponere Mundo?
Num satis est ferro Dacos fregisse rebelles,
Et fortes domuisse Getas? num cæde cruentum
Ismaria, tandem placidis euoluier vndis
Dãnubiũ? quid mota querar sine sãguine bella,
Clementi composta manu? tantisq; refultum
Viribus imperiũ, quãtis, heu Tartara quantis
Pressa gemũt, meritis nõ defraudãda trophæis?
Has mihi tu clades, his me Romane Sacerdos
Ipse malis oneras, & tristia regna fatigas,
Nostrarum præreptor opum. Te vulnere nullo,
Te Rhodanum sociasse Tago; tibi sæua ferocem
Cornua summisisse Padum; tua protinus omnẽ
Arma per Hesperiam, votis indicta secundis
Morte, fuga, terrore hostes extinxe superbos
Vidimus, & solo confligere prœlia nutu.
Ast ego te contra, cœli, terræque, marisq;
Incassum vires, infernaq; numina moui.
Quid mihi Vulcanus? quid Thybridis ira tamẽ
Profuit? aut iussus vires adiũgere Clanis? (tis
Clanis, inoffenso qui debuit agmine, cursum
Tendere, sanguinea prætextus arundine frõtẽ,
Ferales tracturus aquas. Tellure sub ima
Quas non exciui proprias ad bella cohortes?
Quas non oraui socias? in fœdera mecum.

Aëria

Aëria venere manus, & fulmina toto
Excussere Polo, ah non deiectura minaces
Cum duro Clemente lares, sed cuspide versa
In nostrũ reditura caput. Per tela, per vndas,
Per mediosq; ignes interritus, integer, audax
Erumpit, nostraq; canit de plebe triumphum.
Quin etiã (indignum) Stygios raptare penates
Ecce fremit, falsoq; tumet cognomine Clemens,
Hic quo non alius furit inclementius, hic quo
Non alius pigrum violentius vrget Auernum.
At mea si fraudes non est oblita vetustas
Tisiphone, aut longa torpet iam pace Megæra,
Non impunè feret. Tristes in pectora Diras,
Gorgoneasq; lues, atq; horrificas harpyias,
Atq; omnes Acherontis opes effundere certũ est.
Non dabitur portas (esto) prohibere refringi,
Nec licet inuincti leges abrumpere fati; (bus,
At trahere, atq; moras trepidis licet addere re-
At spirare nouum licet in præcordia virus:
Et populos longè Latio, totaque frequentes
Arcere Italia dabitur; morbumque famemq;
Allobrogos circum tractus vulgare per Alpes,
Qua patet incautis aditus. vel sola laborum
Est mihi magna satis merces (vt cetera desint)
Excruciare Senem. Dixit, pressoq; trabali
Ad terram sceptro, rabidum quo tẽperat Orcũ;
Immanes Erebi pestes, & monstra profundo
A Phlegetonte ciet nigram festinus ad aulam.
Conueniunt, varioq; premunt vestigia gressu

Defor-

Deformes rerum facies; inuisa ferarum
Ora: Furor primus vacuas irrumpit in ædes,
Et Dolor, & Rabies: subeunt fraudesq; doliq;
Imaq; furtiuo stringunt præcordia lapsu.
Anteuolat Spes agmen agens: extrema tenebat
Non ausus prodire Timor, nec tendere contra.
Tum Labor accumulator opũ, Luxusq; perẽptor,
Alter Auaritiam comitem sibi legerat, alter
Non animaduersam, tacitis obrepere plantis
Pauperiem sentit. sequitur longæua Senectus,
Et furijs accensa Fames: ieiuna Libido
Deficit, integrisque opibus miscetur, & annis.
Hinc semper vigiles, interni pectoris æstus,
Mordaces curæ; certisq; accommoda membris
Agmina morborum. fœdas horrenda cateruas
Alecto cogebat ouans. Has arbiter Orci
Vt venisse videt; lumen crudele per omnes
Diuidit, & dubio voluit sub pectore secum,
Quam legat ad tãtum facinus, cui pondera tãti
Muneris imponat, res disturbare paratas,
Et prohibere, fores occlusaq; limina tangi.
Demum alias aliò ire iubet, terrasq; per omnes
Funereas differre faces, vrgere Potentes
In facinus, suadere dolos, Martemq; superbum
Indignis fœdare modis; versare minorum
Corda metu, et tætra mordere cupidine pectus;
Hospitij violare fidem, pulsare Parentem,
Irritare pios ad mutua vulnera fratres,
Et Furijs miscere Lares. Animosa cohortes
Ambitio

Ambitio ductura, frequens ad limina Regum
Excubet, & pretio commercia poscat honorum:
Seruiat infelix Virtus: per fasq; nefasq;
Vltura cogantur opes. mihi virgo pudorem
Exuat impatiens: tædas exosa iugales
Mille modis inhiet talamis matrona nefandis,
Et scelus accumulet scelere imperiosa Libido.
Vix opus illecebris, astuue doloue; procanti
Mars iter expediat, qua segnior ibit Iacchus.
Ad Venerem Bellona ferat. Sic fatus, euntes
Vsq; fodit, stimulatq; acres in bella chelydros.
Turba ruunt: heu quale piũ sparsura per Orbẽ
Monstra inferna nefas! quantã spirantia cædẽ
Agmina! quas late strages factura! Superbam
Ex *numero mox lectã omni, præsto esse* Podagrã
Ad furuũ penetrale iubet, Chiragrãq; sororem,
Affaturque dolens ambas, & talibus implet.

Natæ, morborum proceres, asperrima Regũ
Pontificumq; lues, succurrite protinus Orco,
Quem spoliare parant inferni nominis hostes
Christiadæ, fontumq; meas inbibere rapinas.
Forsitan, & me captiuum deducere in auras
Postulet, obscuras idem qui trusit ad vmbras
Aliger, ætherij Dux *fortior agminis, & nos*
(Infandum) toto faciat ludibria Cœlo.
Pandere Romanus cœlestia templa Sacerdos
Cogitat, & nigris indicit prœlia regnis,
Prœlia, quæ vestris si non arcentur ab armis;
Occidimus Gnatæ. telis imperuia nostris

Pectora

Pectora non vna iam sensimus arte repulsi.
Quare agite ad superos celeri succedite penna,
Nocturnæq; domos tectumq; illustre Quiritum,
Qua Vaticanus tumidas consurgit in arces,
Intenditq; dolos Erebo, excidiumq; minatur;
Pergite, Clementemq; alijs, in nostra tyrannum
Viscera crudelem, vestris configite telis.
Tu, ne mane sacram descendere possit in Aedē,
Stringe Podagra pedes, pigroq; recūbere lecto
Coge Senem: tu, sede vehi si poscat eburna
Impiger, audaci fracturus limina dextra,
Stringe Chiragra manus: & tātis vrite flāmis,
Tam diris cruciate modis, vt prima retexens
Consilia, ad proprias auertat lumina pestes.
Ite alacres: non vlla diu victoria maior
Contigit: haud tantos vnquā meruistis honores.
Dixerat. Illæ alas per inania regna cientes,
Furtim Tænarijs è faucibus emerserunt.
Mox Latiū, Romāq; petunt: perq; ampla viarū,
Per fora, per cliuos, hominū discurrere turmas
Huc illuc impune dolēt: neq; tangere quenquā
Dignantur de plebe tamen, sed more Leonum,
Terribiles si quando fremunt inuadere tauros,
Transiliunt pugnas humiles, rectaq; feruntur
In tectum regale truces. ibi limine in ipso
Considunt primo; media tum nocte Parentem
Aggressæ, non illa sacris affigere plantis
Oscula, nec dextram contingere fœderis illa;
Sed rabidæ, immanes rigidi crudele Tyranni
Protinus

Protinus imperium, execrādaq; iussa facessunt;
Et pariter geminis cōstringūt corpora vinclis,
Illa pedes, atq; illa manus. Exterritus Heros
Continuo, tantos sensit per membra dolores
Serpere, tam diris vrgeri pectora monstris,
Vt, penitus torpente animo, nec fundere questus,
Nec vota vlla diu sustollere ad æthera posset.
Qualis in alpino deprensus ab imbre viator,
Fulminis afflatus ventis, atque obrutus igni
Vix animi vitæq; potens, in prona recumbit
Luridus, exāguis, refugo defecta cruore (artus.
Prima extrema labāt: subitus tremor implicat
Illum expiranti similem vitalis ab omni
Linquit parte calor: formidine corpus inerti
Lāguet, et ingrato cōdūtur lumina somno. (tes,
Quippe cor auxilia, & trepidas de more cobor-
Dum sibi fata timet, penetralibus vsq; sub imis
Stare iubet, tutoq; arcem circundare vallo;
Nec nisi summotis ad munia prima periclis,
Excussoq; metu, per membra recurrere sensus.
Tandē *vbi laxatus Domino miserante remisit*
Morbus, *& ardebant leuioribus ossa fauillis,*
Extulit *ad Cœlum pallentia lumina Clemens,*
Lumina (nā palmas atrox torquebat Erinnys,
Nec conferre dabat) paucis inde ora resoluit.
O Pater, ô Princeps, rerum cui tāta potestas,
Quātus amor, neutrū humanis effabile verbis,
Respice, quæ nostros depascitur intima neruos
Pestis, & in tanto rerum molimine segnes
Detinet

Detinet affixos lecto;tum quantus ad Vrbem
Cœtus inundarit, quam pæne a sedibus Orbis
Excitus extremis Romanam tẽdat ad Aulam,
De reserante, sacris properãs insistere valuis.
Non ego grassantes in corpora deprecor æstus,
Nec morbos fugisse velim, sęuosq; dolores, (tũ
(Quãquã ô)sed scis ipse tamẽ,sors publica quã-
Nos moueat,quã nostra magis. Descẽdere in Ae
Christe tuas oro,sanctosq;recludere postes, (des
Et pia votiuis cumulare altaria donis.
Tu mihi quod magnis non das Natalibus, vno
Solemni faustoque die, quem rite priores
Tanto operi dixere Patres; da dulcis IESV,
Claustra remoliri,postesq; intrare beatos,
In qua luce tuum,libamina prima, cruorem
Terra bibit, pignusq; suæ fert grandæ salutis.
Felices, si quando alias, hoc omine postes,
Postes, ipse suo quos sanguine tinxerit Agnus,
Angelicoq; pios defendet ab ense penates;
Et nouus auspicijs curret maioribus annus.
Dixit, & ætheria sperans ex arce salutem,
Intentus vigili spectabat lumine cœlum:
Cum bonus excubitor,gladio metuẽdus& igni,
Sidereæ Princeps Aulæ, domitorq; draconum
Aliger, Eoo delapsus ab æthere vindex,
Post male multatos inuicto milite Turcas,
In Vaticanum demisit lumina collem,
Tecta Arci coiuncta suæ; quo sæpe solebat
Nuncius ire Polo,& summi mandata Tonãtis
Ad

Ad Patrem perferre Patrum, quē pondere tanto
Vt videt oppressum Stygijs ardere venenis,
Imaq; crudeles sæuire in viscera pestes;
Exarsere ignes animo, tantasq; repente
Concipit ira faces, quantas accenderat olim,
Cum tumidos alto deiecit ab æthere fratres.
Nec mora: terrifico furialia monstra flagello
Percutit, ingeminatq; minax vrgetq; trahitq;
Et candens adigit præcordia ad intima ferrū.
Icta fremunt, lōgisq; vlulatibus aëra complent,
Mox veniam pacemq; petūt, perq; omnia iurant
Numina, se posthac nunquam reditura, beatum
Excruciare Patrem; sed pro Clemente, Getarū
Et Thracū inuasura Duces. Hinc mœsta sub Or
Irrūpunt, nigrasq; vrgēt mugitibus auras. (cū
At fidus niuea splendens in veste Minister,
Interpres Diuum, magniq; Antistitis vltor
Michaël, hac ægrum solatus voce Parentē est.
Sācte Senex, Domino qui ius tradente, supernos
Infernosq; lares claui moderaris eadem,
Perge alacer, qua te pietas generosior vrget,
Et quæcanque diu tacito cum corde volutas,
Aggredere: ipsa suam defendēt Numina causā,
Conatusq; tuos. affectum coge sub vnum
Pontificem Patremque; hostes frenare superbos,
Quod facis, imperio; mites in pace tueri
Cura sit, officio respondens vna duorum.
Insuper & populos longinquo ex orbe citatos,
Inprimisq; pios Proceres, Diuūmque clientes

Per

Per freta, per syrtes, Alpinaq; frigora vectos,
Hospitio dignare tuo, longumq; grauatos
Vsq; foue: Clemens admissa piacula primum
Deme animis, vacuosq, nouis hortatibus imple,
Ausus operta palam dissoluere vincla, reosq;
Publicus ad sanctum iudex accire tribunal.
Aemula mox Christi plantis intenta rigandis,
Tergẽdisq; manus, quos Mulciber ante liquores
Lenierit miscens, intactaq; linea cingens,
Eluat illa pedes, quæ pectora lauerit. his tu
Cœlestes appone dapes, & mentis alendæ
Fercula, tum lautas refouendis artubus escas,
Et seruis Dominus latices infunde falernos.
Obsequium conuiua tuum miratus, honore
Laetetur trepidans, & gaudia temperet horror:
Nec tantam imminuat Clementia maiestatem.
Mox quã multa pios irrepserit Vmbra penates
A Stygio diffusa lacu, rixasque per Orbem
Excierit, laqueosue tetenderit; omnis eòdem
Consternata ruet; demptoq; ingloria fastu
Concidet, excisis regina Superbia pennis,
Et centum geminis fremet intorquenda catenis.
Ergo age congestos auri immortalis aceruos,
Illustrem segetem diuino rore madentem,
Sparge per excultos armis cœlestibus hortos,
Pinguia lecturus maturæ pondera frugis.
Terrestres quoque confer opes, leuiora metalli
Munera, diuini sed non leue pignus amoris;
Et quas vsq; omnes Clemens augere per annos
Consue-

Consuesti mensas inopum; Clementior aude
Per sacros implere dies: numerosior vltro
Confluet, a prima qua Sol incedit Eoo,
Quaque sub extremos præceps infertur Iberos,
Ad cenas conuiua tuas. Nil Principe tanto
Dignius, æterno qui pro Pastore tuendas
Pastor oues mortalis habet, quam pascua late
Munifica proferre manu; quam diuitis instar
Gãgis, & Eridani, lõge spatia ampla petentem,
Rimari per operta vias, almæq; parentis
Intima vitali perfundere viscera succo;
Vel pluuiæ in morem, colles camposq; per omnes
Dona refundentem, glæbas ditare maritas,
Quam ferat, ingenti messurum fœnore, dotem.
Sic ait: Eoasque iterum sublimis ad oras
Dũ rapitur, Pastor duplices ad sidera palmas,
Nec dum securas, nec dum coniungier ausas,
Fortius (heu duro functas discrimine palmas)
Sustulit; ac tali fugientem est voce secutus.
Immortale decus cœli, terrorque silentum,
Aëriæ vindex Aulæ, quem Numina nostræ
Tutorem legere ratis; perge omina tanta
Præsidio firmare tuo: nec Tartara quicquam
Aduersus poterunt sanctos molirier ausus.
Tu mihi marmorea fulgebis in Aede, cruento
Insignis telo: pedibus calcabitur anguis,
Colla tumẽs & dẽte minax, cui plurima dorsũ
Pingat squama rigens, & lõga volumine terga
In nodos replicet, passisq; exhorreat alis.

Quæ diũ Roma gerit; pœnas iã fama loquacem
Explicat, & primũ Latias circumuolat vrbes,
Inde Italos late fines: qua turbidus horret
Adria, qua campos ditat Neptunus Etruscos,
Et qua iactantem rapidos è faucibus ignes,
Insanam validis auulsam viribus Aetnam
Rescidit, arcta inter lapsus confinia Nereus.
Inde pedem referens, longo festina volatu,
Arua per Insubrum, gelidas excurrit ad Alpes,
Prostratumq; canens armis cœlestibus Orcum,
Et debellato raptos ex hoste triumphos,
Mortiferã tabem per tecta, per arua furentem,
Pauca reluctatam Gallis extrudit ab oris,
Securosque aperit Romana ad mœnia calles.
Impius ô vtinam, telo confossus eodem,
Mars fugiat fractoq; gemens Bellona flagello:
Nec quos obtuderat gladios Clementia, rursus
Exacuat stringatq; Furor. Pax aurea tandem
Gallica rura colat, Tiberisque a fonte profecta,
Cũ Rhodani pinguescat aquis: hinc lata Pyrenẽ
Transuolet, et fluctus Arari confundat Iberos.
Tum nullo gentem discrimine frenet vtramq;.
Fallor? an adspirant votis felicia nostris
Numina? iam medium video discedere cœlum,
Aligerasque inter clarum fulgere cohortes,
Candida regali gestantem lilia dextra,
Patrem, Galle, tuum: sancti qui fœderis omen
Conspicuus cœlo firmat, clademq; minatur
Fœdifragis. Liceat dubios errare per agros
Francce tuos, Hispane tuos: commune duobus
Esto

Esto solum populis : galeas in vomera conflet
Miles , in incuruas horrentia spicula falces ,
Et desueta nouos inuitent arua ligones ;
Alta nec hostiles metuant arbusta bipennes .
Ecce autem supremus Atlas , cui lucida cœli
Sidera,cui terra,& tristes famulätur Auerni ,
Auratam indutus clamidem , tectusq; tiara ,
Purpureos inter Proceres,*sacrumq; Senatum*
Infert se placida cum maiestate . Verendus
Illi amor in vultu ridet: mitissimus horror
Mẽbra quatit recreatq; alto spes mista timori ,
Dum certat cum Rege Pater, *præcordia furtim*
Sauciat *& mulcet : cupias sic sæpe ferire ,*
Vt sic sæpe leuet.punctus noua gaudia sensus.
Perdendo maiora facit : medicina dolorem
Sic fugat,vt doluisse iuuet:plus additur ægro ,
Quam periit valido:crescit per dãna voluptas .
Sed iam Numẽ adest:genibus demissa recuruis
Cedit turba loco,& Patrẽ *reuerenter adorant ,*
Pandere cælestes aditus , & templa parantem .
Adsistit trabeata cohors , & sacra nitentes
Præfert dextra faces : contra nitet aurea circũ
Purpura,succensisq; audet concurrere flammis.
Præcingit, niueis non concessura Ligustris ,
Candida vitta comas:obeũt lõgo ordine gyros ,
Hinc atq;hinc disposta manus,cœtusq;canentũ,
Et lætus tremulis ridet concentibus aër .
Inde Pater,*supplex Diuûm prostratus ad aras ,*
Conceptis precibus , fusisque ad sidera votis ,

Et complorata cœlestis Numinis aura;
Sanctum limen adit muros armata metallo
Dextra ferit: subiere fabri, solidamq; frequēti
Maceriam pulsu, durataq; rudera frangunt,
Obductaq; fores, & limina sacra patescunt.
Continuo auditæ voces, & inania circum
Atria responsum, geminato ad sidera plausu
Reddere; mox validis vrgeri sidera bombis,
Effulgere ignes, tonitru cœlum omne ciere,
Iniussaq; manus trepidum contundere pectus.
Fusus humi, lapidum cæmentorumq; ruinis,
Incompostus erat, sed non despectus aceruus;
Quē præceps pia turba rapit; seq; ipsa repellēs,
Impellensq; ruit, premiturq; premitq; vicissim
Impatiens, donec præda potiatur, & omne
Vestibulum populata, pedem cum diuite glæba
Conuertat, locuples ac fortunata recedens.
Vsque adeo pius ardor agit, tantusque refractæ
Cultus inest portæ. Celeres sic sæpe columbæ
Turribus ex altis, aut summo a culmine templi
Pendent præcipites, liquidumq; per aëra lapsæ,
Conspectis inhiant epulis: inde ordine nullo
Oblatam Cererem, notique leguminis escam
Diripiunt, vacuique domant ieiunia ventris.
Momento far omne perit: mox nulla supersunt
Aggesta fragmenta dapis: vestigia cenæ
Nulla manent; auidæ legerunt omnia fures.
Ergo vbi lustrales infudit postibus vndas,
Et præferre Crucem, nostræ vexilla salutis,
Iussit;

Iussit; inoffenso transgressus limina passu,
Primus iter Clemens aperit: votoque potitus,
Grates lætus agit, cunctosq; per ostia gressum
Tendere mortales, atq; indulgere paratis
Hortatur dapibus, mensisq; accumbere Diuûm

In Sacras Fores
A CLEMENTE VIII.
PONT.MAX.PATEFACTAS.

Hieronymus Tetius Perusinus.

IMPIA nequicquam fraudes intendit
  Erinnys,
Obluctata Polo, & clausos defendere
  Postes
Indignis conata modis. Tu Maxime CLE-
  MENS,
In cuius librata humeros, tutissima Mundi
Stat moles, auidi rabiem contundis Auerni;
Atq; ausum Pluto nanefas, in Tartara trusum
Interiora domas, Cœlique arcana recludis.
Felices, queis grande datum contingere limen,
Amplaque securos inferre per atria gressus,
Et superas habitare domos. In sæcula faustis
Vocibus, alterno laudabunt ore Tonantem.
Te quoque felicem, rectos ad sidera calles
Qui cæcus lustrare queas, Bonciarie, duxque

Acribus ire oculis;& cursum æquare volantū,
Crure piger, sed mēte celer: quē lumē ademptū,
Et pes inualidus (factu mirabile) montes
Ingredi, & Aonias Pimplæo vertice diuas
Ad Vaticanum docuit deducere collem,
Seria dimissis meditantem carmina ludis.
Fallor? an a læua Clementior *instrepit aura,*
Quæ tenebras cladesq; tuas miserata resoluet,
Et Cœlum pulsa promittit nube serenum?
Tu spes Ausonidū, qui nomine & indole reddis
Ingentem Siluester Auum; Patruiq; Patrisq;
Alta per ingressus celeri vestigia passu,
Fortunam virtute premis: clarescere Vatem
Per laudes patiere tuas; & carminis auctor,
Idem fautor eris; Musisq; volentibus olim,
Auspice te, sacra cingentur tempora fronde.

GVIDO SENSIO S.

Hieropylus, te plurimum hortante Sensi, ac Pontifice ipso tale aliquid iubente, post ludicra illa nostra, quæ libens auscultauit, te offerente per Stellam; in magna festinatione conceptus, editus, Romam missus, ad te se confert auctorem sui. ratus videlicet, quem amoris, & gratiæ locum apud te habeant fratres natu maiores, propter

solam

ſolam humanitatem tuam; eum ſibi non defore natu minimo, propter adiunctam humanitati quandam cognationem. Non enim ex ingenio meo potius, quam ab ſtudio ſe tuo genitum profitetur, & gloriatur. Accedit, quod illi quidem & ſi magis elaborati, & magis compti videntur; tamen plane nugaces ſunt, nec ſatis digni, qui hoc præſertim tempore ad colloquium admittantur: hic vero licet minus exculta, & minus curioſa indutus veſte (qualis ſcilicet Peregrinum, ac pium decet) tamen non modo ſeria, ſed ſacra loquitur; & ſacrorum Antiſtitem Maximum, pro ſua vocis exiguitate, in Cœlum fert. Quod ſi (vt bona bonis interdum cumulat Deus) hic etiam, Stella duce, ad aureum illum, atq; benignum Solem, qui pietatis, & Clementiæ ſuæ radios quoquo verſus in Orbem effundit, adſpirare poſſet: credo non eſſet cauſſa, cur infantulum pœniteret cæcitatis ac tenebrarum, in quibus natus, a quibus erutus, lucem inſolens non ferebat. Vale ex Collegio Auguſto S. Bernardi anno ſacro ſeculari, cuius tibi initium felix & fauſtum precor.

Admodum Illustri ac Reuerendiss. D.

NEAPOLIONI COMITOLO EPISCOPO

M. ANTONIVS BONCIARIVS S. D. Romam.

ANTEA meum scribendi officium valetudo impediuit, solito longior: deinde plusculum retardauit cunctatio typographorum, qui quoniam me præter opinionem ad hunc diem traxerunt, nec videntur dimissuri, vt illi dicunt, ante medium Augustum, vt ego suspicor, ante Septembrem: hoc tecum interim communicandum putaui, quod nobis accidit inter edendum. Sub extremum libri tertij Seraphidos, Plutone fortiter superato, & ad inferos retruso, B. Frãciscum ad victoriæ quasi palmam & prœmium voco. durum prœmium & cruentum: sed idem tamen suaue, optabile, gloriosum. plagas, inquam, cum eo diuinitus communicatas, & pariter lateri, manibus, pedibus inustas. Quam ego historiam breuioribus, quam res tanta di-

ci debuit, verbis expreſſam, ſic inſerui inter narrandum, vt τὰ πρὸς ὀλίαν συνϐεϐηκότα. & adeſſe, & abeſſe poteſt, re ſalua. Nimirum mei Verſiculi, Pater, ab Homero, hoc eſt a recto longiſsime diſtant. in eius enim laudibus hoc præcipuum ducitur, quod nec amittere, nec admittere quicquam poteſt ſine damno. Dices: Cur tu hodie iſtam ad me particulam, cui debes, iam aliquot dies ſunt, ſcriptionem totam? Hic non admodum probat vir doctus & ſapiens Franciſcus Vicinus rationẽ narrandi meã. vereri ſe dicit, ne non nihil officiat miraculo, quod dixerim, ex nimio amore intra pectus gliſcente, ac foras erumpere conante, quinas plagas, vt quinque oſtia ſubito patuiſſe. factum hoc magis conſonum, & magis mirabile videri, ſi vulnera non ſic exorta per amoris abundantiam, ſed a Domino inflicta & impreſſa fuiſſe dicantur. Ego primum reſpondi aliquammulta de vſu & conſuetudine poëtarum: deinde hoc adieci, me dicere illud ipſum, quod Vicinus dici vellet, nempe plagas a Chriſto inditas fuiſſe, ſed per amorem, tamquam per cuſpidem. porro cum mihi dicendum hoc fuerit, Franciſcum Chriſto ſimillimum eſſe factum, & quodam modo totum Chriſti habitum induiſſe: quî potui reperire artificem transformãdi magis idoneum, quam amorem? Magnus ille Theologus & Vates ab Hiſpello, qui patrum memo-

ria

ria scripsit heroicis versibus Francisciada (vt postea legimus, & Vicino legendum misimus) horum vulnerum proximam causam, non amori assignat, sed dolori. Ceterum de vi erumpendi, & de modo sauciandi mecum facere videtur. sic enim habet lib. XII.

Tum simul introrsus circũ præcordia magnus
Cogitur, atq; ardens dolor ossibus æstuat imis.
Principio affixi penitus tota intrat imago
Regis eum: mentiq; hærent diuina profundæ
Alloquia: æthereus dehinc iussis nuntius instat.
Tũ subit atq; animo telũ crucis ingruit horrẽs.
Primæ autẽ, ãte alia, interius sub pectore quinq;
Insedere notæ, & sæuum fecere dolorem.
Ingemit ergo Heros: clausũq; cor æstuat intus,
Euripi more: & venis erumpit apertis
Restagnãs dolor, ac primum latus haurit hiatu,
Vulnus agẽs: plãtasq; fodit: palmasq; terebrat.
Transfixæq; manus, simul & vestigia acutis
Vectibus apparent, transutaq; vulnera ferro.
Mox quinæ effulgent plagæ, radijsq; coruscant.

Enimuero ego, si quam causam huic miraculo affingere licet secundum Deum, eruptionem illam amori potius, quam dolori tribuendam esse censuerim. siquidem dolor adstringit, atq; in angustum cogit: amor laxat, dilatat & prodit palam. Sed hæc tibi, Præsul sapientissime, subtilius disquirenda, & prudentius decernenda relinquimus. qui si forte non impro-

bas

bas narrationem & rationem meam; haud inseram ego quidem nouo poëmati, quod iam excuditur sine illa; sed tamen non inelegans argumētū habere videbor, quod existere per se poterit, non abstractum reliquo corpore velut membrum, sed detractum vt indumentum. Vale Nonis Sextilibus, Perusia.

DE BONCIARIO articulorū doloribus correpto, dum Seraphica meditatur.

Latinus Mercoccius a Canthiano.

SEraphicos ignes, & vulnera quina canentē,
Quę sācto vehemens corpori inussit amor;
Cur sic excruciant pestes? & acerbior angit
Inde chiragra manus, inde podagra pedes?
Haeccine cultorum merces, Francisce, tuorum?
Haeccine ab ætherio præmia fonte pluis?
Ah ego quid dixi stolidus! nunc sentio, quale
Scribenti auxilium præbeat, ista pati.
Nā rogo, quę mēs, qui calamus, quę lingua dolo(res
Diceret, imprimeret, conciperetue tuos;
Si non dira lues hominem cruciando doceret,
Heu, quantus fureret corda sub ima dolor?

Triumphus

Triumphus SERAPHICVS.

CVM victus fractusq; iterum pudibundus Auernas
In latebras Pluto rueret, iãq; ima teneret
Tartara: Seraphiden meritas ad sidera grates
Sublatis referentem oculis, & bracchia passis
Tendentem palmis, alta de sede corusci
Aligerum cinxere chori. primusq; Michaël,
Macte, inquit, pietate Pater dignissime Cœlo,
Qui pestes Erebi superas, horrendaq; frenis
Monstra domas; accede trucis fortissima pugnæ
Præmia laturus. celso delapsus Olympo,
Aëria de nube Deus, Deus ipse fruendum
Sespondet Francisce tibi. Cum talia Custos
Ederet, ecce alto sublimis in aëre Christi
Non audita prius, nec visa, refulget imago.
Talis erat, qualem rabies Iudæa peremptum
Ante dedit, nostras cum lauit sanguine culpas.
Membra feræ suffixa cruci, sed vtrinq; verēdū
Ala caput cingens, heu furabatur amanti
Sidereos vultus, & bino Sole serenos.
Par tegumen plantas, & par velabat vtrasq;

Penna

Penna manus (Tales pingũt Vatũ ora Seraphin
Flagrantes ardore animos, & murice flauo
Conspicuos cœli Satrapas, vexilla ferentes
Ante thronum: Regi ante alios dilecta Tonãti
Agmina Cœlicolum. Quos tu venerabilis inter
Sessurus quondam, solio spectandus eburno
Felix Vmbrigena, flagrans quoq; nomẽ ab illis
Accipiens, retinebis ad omne Seraphicus æuũ.)
At vero lateris non obducenda cicatrix
Ampla, patens, incensa faces & spicula vibrãs,
Cœlesti splendore oculos, & pectora pascit
Intima, nectareos dum stillat ad intima rores.
Attamen immanes animo dum sæpe recurrunt,
Quas nostro subijt Dominus pro crimine pœnas,
Protinus icta gemunt crudo præcordia telo,
Atq; afflicta cadit, mœrore vrgente, voluptas.
Extemplo illa tamen cõuersa resurgit in hostẽ,
Confligũtq; iterũ. pugnat dolor, illa repugnat,
Alternantq; vices. donec iam fessa quiescunt,
Ac in amicitiam coeunt. pars æqua dolori,
Aequa voluptati conceditur: ille cruentos,
Immanesq; obitus nostro pro crimine pensat;
Hæc cõtra immensũ Domini meditatur amorẽ
Gratuitũ, æternũ. Lacrymis cor liquitur illinc,
Liquitur hinc lacrymis. pietas excitur vtrinq;
Mens vtrimq; ardet, cor inflammatur vtrinq;.
Quid mirum, tepida si diffluat obrutus vnda,
Hæc gaudens, atq; illa dolens Asisius Heros,
Cum calor ima coquat, cum cor exæstuet ignĩ
Ac

Cuspide, quæ quanto violentius incutit ictum,
Et magis altā aperit præcordia ad intima plagam;
Tanto optabilior, tanto est felicior ictus,
Et mage dulcē adigit pręcordia ad intima plagā.
Fortunate nimis! superū dignate frequēti
Aligerum plausu, mox Aligeros super ipsos,
Atq; excelsa super radians tol lende Seraphin,
Hostibus æternum fractis ducture Triumphū.

Ad Beatissimum Patrem Seraphicum S. Franciscum

Franciscus Herculanus de Fregio Perusinus.

CVM Domino pugnasse tuo Frãcisce videris,
Ac (si fas dictu est) Vir superasse Deum.
En tua sunt quinis illustria corpora signis,
Quæ sunt è Domini corpore rapta tui.
En tanquam victor, spolijs insignis opimis,
Alta triumphato scandis in Astra Polo.

M. Ant.

M. Ant. Bonciarius IOANNI BAPTISTAE SACCO S. *Mediolanum.*

QVAM historiam vetus Agiographus, & idem tamen innominatus designat de Othone Scalptore Mediolanensi: tametsi; fere idipsum alij tradunt Eulogio nescio cui contigisse in Aula Iustini Imperatoris: tamen cum ea nobis caderet in propositum, munusque huius anni nostrum satis apte impleret; cupide arripuimus canendam, securi exploratæ ac liquidæ veritatis. nempe cuius haud magnam rationem habere solet Poëtæ, qui minimum quidque veteris testimonij, quandoque ipsos vulgi rumores graui poëmati substernunt pro fundamento. Illud me magis mouet, quod artificem tam excellentem, tam elegantem nimis ego vulgariter indoctéque depinxero: & facinus sua sponte inclytum, quæ illustrare debebat, eadem (vt suspicor) infuscabit obscuritas orationis. Facit tamen tua mihi perspecta humanitas eruditioni ac iudicio

dicio par Sacce amabilissime, vt hanc non verear censendam & poliendam transmittere ad te rudem Camenā, hoc nimirum pro certo existimans, ac mihi penitus persuadens, te hoc tam facile posse præstare, quam alios doctrina & elegantia superas; tam autem libenter esse factorum, quam nulli hominum in me amando atq; ornando concedis. Volebam ego quidem, quod scripsi ad Matthæuccium, recta mittere ad Illustrissimum Cardinalem Borromæum, eamque statuebam fore mihi occasionem non ineptam Clarissimi Præsulis appellandi. Sed confitebor ingenue timorem meum, nec os tuum formidabo toties increpitus, atq; acriter castigatus humilitatis intempestiuæ. Vbi postea relegi, & paulo intentius adspexi, refrigerato (vt ille noster loquitur) inuentionis amore; cœpit mihi displicere consiliū meum. & Musa ipsa Illustrissimi Principis conspectum subire non ausa, retulit pedem, seseque a Purpura conuertit ad Saccum. Quid miraris esse idem liberis perfugium, quod pridem fuit, semper erit Parentis? Fac valeas. Perusia Cal. Ianuarij CIↃI CIↃXC.

X Scalptor

Scalptor MEDIOLANENSIS.

POEMA

Extemporaneum in Augusto Collegio S. Bernardi recitatum. Postridie Nonas Decembris CIↃ IↃ CIX.

ANNVA Nicoleo solemnia rite parantem
Dicere, & ex ipso carmen numerosque petentem
Præside, sic ipso me visus ab Aethere Præses
Appellare: Satis, satis est. encomia nostra
Sunt nimium celebrata diu, Turrena iuuentus.
Ad reliquos Cœli ciues pia plectra canendos
Trāsfer: & inceptam dudū perge omine fausto
Texere Cœlestum non vno flore Coronam,
Et paritura nouos Sanctorum nomina fastos.
Dixit: & illustrem comitem de sede propinqua
Ostentans, Hic esto inquit, quem carmine primo
Afficias nulli meritis & laude secundum.
Aspexi, agnoui. Facundo examen ab ore
Fœtarum prodibat apum: nectarq; Deorum,
Nectar

Nectar ab Ambrosio stillabat in aëra labro.
O ego si sacros possim contingere rores,
Ore tenus libans! non me Parnassidos undam,
Non Dirce, non Ascra tuos haurire liquores
Dehinc iuuet, Ambrosij sit copia mellis, abunde.
Quid referã vero? et multis in millibus vnũ(est:
Cedo quod exemplũ, inceptũ, factũ ore canendũ
Suscipiam? Quod nẽpe animo se protinus offert,
Proferriq; rogans vsq; intima pectora pulsat.
Nam quãquã leue sit, quãquã vulgare relatu,
Nec satis hoc forsan cõsessu, hoc agmine dignũ;
Non leue, nec vulgare tamen, si condis in ima
Viscera, diuini documentum prabet amoris.
VIR fuit Insubrũ pauperrimus Otho: diurnas,
Nocturnasq; operas lapidi prabere secando,
Scalpendoq; bonus. Non illo doctior alter
Saxa polire manu, solidas tornare columnas,
Atria moliri Regum, tectoria quadris
Incrustare nouis, & scalpro pingere marmor,
Et late murum varijs animare figuris.
Egregiam non vna manũ monumẽta per Vrbẽ
Arte laborata, & turres, & templa loquuntur.
Stat tamẽ ante artem Pietas, & nescia fraudis
Libera mens: ea diuitias non apta sub arcam
Condere, vel captas in vincula trudere lamnas:
Apta relargiri, libertatemq; vagandi
Captiuo donare auro. Pia dextera quicquid
Vltra communes epulas, cultumq; lucratur,
Erogat in tenuem, mendicantemq; cateruam;

Et sibi thesauros alta componit in Aethra.
I modo qui largas ab auis, proauisq; relictas
In luxum disperdis opes. i diues agrorum,
Et pecorum; diues pulchrai vestis & auri,
Sacra docens, et sacra canēs, & sacra ministrās,
Confer ad humanas Cœlestia munera pompas:
Et bona, pauperibus tibi credita sustentandis,
Fac ventri seruire tuo. Sudoribus Otho
Pauperiem mulcet proprijs, os ipse, suumque;
Defrudans Genium. tu non tua, sordide custos,
Nec digitis sudata tuis, sed parta piorum,
Parta inopum cura, studio, caritate negabis?
Scalptoris generosum animū, dextrāq; benignā
Ex ipso indignans Orco spectabat Erinnys,
Et multis hominem laqueis, astuque doloq;
Captatum, illectum, studio tentauit ab illo
Incassum remouere. Fremens ergo exuit ora,
Cornibus exarmat frontem, canamq; reponit
Cæsariem, pulsis antiqua sede colubris.
Tum pariter canā pendere ad pectora barbam
Imperat impexam: contractis tempora rugis
Exarat, & baculo curuatos sustinet arcus.
Attamen in vultu grauitas, & commoda fando
Lingua. Per hinc sese turbas confundit egentū,
Arte noua speculata locū. Dum strenuus Otho
Diuidit hebdomadum restantia lucra duarum,
Atq; obsessa frequens circundat limina pauper:
Forte alia properās ex parte superuenit Heros
Ambrosias, secumq; hominē miratus, in altum

Lumina

Lumina sustollens, Heu, dixit Sidera nobis,
Aetheriasq; domos superum, sedesq; beatas
Obscura de plebe homines furantur! & ipsi(ste
(Proh scelus!)illustres Domini,grãdesq;Dyna-
Nostrorum sequimur vestigia mancipiorum:
Rari et consequimur.Simplex,ignobilis,expers
Disciplinarum, fortunarumque, supernas
En melius leges,diuinaq;dogmata callet, (stri.
(Certe implet)quã nos Proceres,magniq; Magi-
Cedo quid efficeres Otho si doctior esses?
IMO quid efficeres Otho si ditior esses,
Opportuna vltro subiens excepit Erynnis? (gẽ
Hũc ait,hunc grãdẽ facerent pia Numina Re-
Pollentẽq;opibus. quã millia multa benignus
Pasceret, exemplo tam millia multa doceret,
Diuumq; immenso pietas se funderet Orbi.
Tantum effata silet. verbum non adijcit vltra.
Haud monitis multis, lõgoue hortamine agẽdũ
Cum sapiente,aut qui tales sibi forte videntur,
Censet ab-experto.Factum non pingere totum:
Designare sat est celeri prima vltima ductu,
Vixq; gerendarum fastigia tangere rerum.
Vult etenim doctus Princeps,sua posse videri,
Ac sibi, non alijs tribui quaecunq; putantur
Conspicienda fore, & laudes habitura bonorũ.
Hoc inferna lues metuens, & gnara mouendi
Qua sit opus, Procerũ mentes,& corda scitum
Ambitiosa virûm:paucis exemplar adumbrat,
Atq; rudem facti speciem proponit, agenda

Tunc ex arte magis, cũ ſpernere creditur artẽ,
Nec mora: perpetuis nocturnis, atq; diurnis
Antiſtes precibus Numen Cœleſte fatigat,
Vt grandes homini Cælo dignetur ab alto
Fundere diuitias. NON eſt reuerentior alter
Chriſte tui: reliquis longum cultoribus Otho
Anteit: hoc pariter non ſit locupletior alter
Chriſte per Inſubres, atq; omnibus anteat Otho.
Diſcant, aut melius dicam, diſcamus ab ipſo
In te hodie, famuloſq; tuos Deus *eſſe benigni.*
Fac alijs donando, alijs prodeſſe docendo.
Sic Pater ad Cœlũ, *Patri vox reddita Cœlo eſt*
Increpitans: Quid me poſcis nocitura? quid iſtũ
Perdere Paſtor *amas, de teq; tuiſq; merentem*
Largiter in præſens gregibus? licet omnis egẽti
Fortunæ haud poſthac ſimilem fortaſſe futurũ,
Hoc ſi indeptus erit, vero quod nomine damnũ,
Non donũ eſt, damnũ pro munere Paſtor *ouili,*
Paſtor *oui poſcis. tua ſunt contraria votis*
Vota tuis: & te mox impetraſſe pigebit; (ſtat
Si dederim. Nec plura Deus. Tamen acriter in-
Ambroſius, pergitq; preces orare priores:
Ora rigans lacrymis, & tũdens pectora palmis,
Et crebra ex imo ſuſpiria corde refundens.
Vſq; adeo dum vota Parens *indulſit.* Et eſto,
Eſto, *inquit, quodcumq; rogas. diteſcere fas ſit*
Othonem, lapicidam, inopem. Pro vilibus ingens
Aſſibus argẽtum tractet, pro marmore gemmas,
Pro *calte gladium: rudibus qui ſculpere ſaxis*

Magna-

Magnanimū simulacra virū, Diuq; solebat;
Nunc ebore, atq; auro spectet contecta vicissim,
Et se vulgari iam non agnoscat in arte.
Sic factum, sic effectum. Theodosius illac
Præteriens, vitamq; hominis miratus & artem:
Post meritas laudes, post aurea munera, secum
Abduxit Romam rediens: nec tempore longo
Extulit ad primos Aulæ splendentis honores.
Tum lepide; Alchimicos quis iā derideat ausus
En nos Othonem conuertimus, inquit, in aurū.
Principio gentem legitur Dux inter equestrem,
Inde ad purpureos transtollitur ordine Patres:
Ei propior Regi sedem spectandus eburnam
Occupat, excelso vectus per compita curru:
Agmina quina homini balātū, quina per agros
Errabant armenta suos, & iugera pinguis
Fœcundiq; soli centum vertebat aratris.
Quid loquar in media spectandos vrbe penates?
Vndiq; sic amplo producta palatia gyro,
Castrorum in morē pinnis, atq; aggere cincta?
Vt non illa domus queat appellarier: Vrbs est.
Addita seruorum series, & turba clientum,
Et populus comitum, fortunæ pompa nitentis.
Addita respondens opibus laribusq; supellex:
At quid pauperies tandem? quibus illa fouetur
Sumptibus? et quanto præsens dignatur honore?
Principio faciles aditus, dextramq; benignam
Experta est: sed enim bis, terq;, quaterq; reuersā
Tristior admisit, vix auscultauit, abegit

Deniq; . tum plagas etiam fustesq; minatur ,
Si posthac Regale ausit contingere limen .
Peruersum facinus! Quo quisq; benignius, atq;
Vberius viuis è fontibus hauriat vndam :
Hoc magis arere sterilem, magis esse malignũ ,
Nec parere optatam pigrantia semina frugem .
Quæ simul Antistes, simul & cognouit Erinnys,
Diuerso ambobus præcordia gliscere motu ;
Ringitur Antistes mœrens: insultat Erinnys
Mœrenti, & verbis exulcerat acribus iras .
O mihi quã pugnax, quibus & spectãdus in ar-
Militat, abductus castris hostilibus Otho ! (mis
Quid loquor abductũ? me vix hortante recessit ,
Et mea castra petens recipi sibi duxit honori ,
Optauitq; locum bello . vera omnia nondum
Glorior: Antistes , castrorumq; ipse Magister
Hanc ei militiam , sortemq; poposcit . Erinnyn
Falso accusabunt, quod sit furata : Dederunt .
Sic ait irridens , & sæuo turgida fastu
Mox Acheronteis victrix se reddidit vmbris ;
Elato illustrem referens Othone triumphum ,
Et magis illustrem iactans , Antistite luso .
Qui postquã lacrymis oculos satiauit, & ægrum
Exhausit gemitu pectus , Cœlumq; frequenti
Lassauit questu ; ternas ieiunia luces
Continuans, ternasq; pares ex ordine noctes ;
Implorat pacem Superum , veniamq; precatur
Ante obitis temere precibus, votoq; nocenti .
Parce Parẽs, ignosce Deus, miserere Redemptor,

(Exclamat)

(Exclamat) fateor culpam, nec deprecor acre
Supplicium, si supplicium potes acre iubere,
Cum se culpa recens prodit, crimenq; recludit
Cor exangue, pauens. At nostro quicquid ouili
Officit in præsens, venturos quicquid in annos
Impendet, me auctore datũ, me auctore patratũ:
Esto meum. nostro redimatur sanguine dãnum,
Et grex mactato ante aras Custode *pietur.*
Fac modo Pastorum Pastor, Rectorq; Regentũ,
Ad proprios vt ouis redeat decepta penates,
Quã Lupus incautam rapuit. Quid mẽtior autẽ
Et queror esse Lupo *raptã quam* Pastor *abegi,*
Proieciq; meam? Nos, nos te prodimus Otho,
Dum tibi diuitias, irritamenta malorum,
Poscimus amentes, hostiq; obiecimus vltro.
Nos factis causam dedimus, nos facta luamus.
Ast ô Sũme Parens, hominũ qui corda penetras,
Et legis intra etiam scriptas præcordia culpas:
Quandoquidem tãtũ stolido me crimine dãnas,
Et scelere absoluis: nostrum rogo corrige factũ
Ocyus, & præsens melioribus annue votis.
Non par est, ad transfugium potuisse querelas;
Ad reditum non posse preces: quiq; ante dolẽdo
Infœlix nocuit; nunc non prodesse rogando.
Ardua res factu, quam te Deus ante poposci,
Ad grandes vt pauper opes traheretur. at istud,
Quod precor in præsens, vt detrudatur ad imũ,
Qui sedet in summo, fiatq; ex diuite pauper:
Res est Christe leuis, factuq; facillima. Tu scis

Quam

Quam sæpe ambitio, ingluuies, discordia, luxus.
Atq; aliæ pestes, te conniuente; vel ipso
Te dicam inuito, faciant. Quid tristia narrem
Pocula, deprõptum Stygio de fonte venenum,
Et monstrorum Erebi cunctorũ nomina mille,
Mille artes, & mille dolos? Hinc grandia Regũ
Imperia, hinc totas ipsis cum mœnibus Vrbes
Nouimus exhaustas: hinc millia multa virorũ,
Et pecorum late gladijs, morboq; fameq;
Funditus extincta. Hæc inquam si tela nocendo
Tartarea sunt iacta manu: quid spicula credã,
Atq; arcus non posse tuos intenta tuendo?
Quare age sume Parens: hærenti porrige dextrã,
Ante necaturas & quam mergatur in vndas,
Tolle bonus, vitaq; hominem permitte priori.
Grata tibi ante aras mactabitur hostia nostras.
Dixerat. Ex alto Regum Rex audit Olympo.
Et quid tam multis quæ sunt cõperta rẽnarro?
Theudosio mox extincto, capit orbis habenas
Arcadius cum fratre. absens conuincitur Otho
Gessisse aduersus sacrum tela impia Regem,
Et coniuratis hæsisse latronibus. Ergo
Damnatus capite infelix, auroq; redemptus,
Exilio mulctatur. Agri, domus, ampla supellex,
Atq; omnes rapiuntur opes. Vix effugit vnus;
Vnus, & obiecti (sic vulgo creditur) insons
Criminis; inuidia certos vrente sodales,
Et suadente nefas. Mœrens, extorris, egenus,
Irrisus primis se reddidit Otho tabernis:

Et

Et vix audentes iterum rude tangere marmor
Patricias, læuesq; manus castigat inertes,
Non bene desuetis cogens accingier armis.
Nec mora. quis credat? sfactū incorrupta loquūtur
Certorū monumenta virū. Quin talia cētū, (tur
Si poscas, exempla potest præbere vetustas,
Et quædam nostro non sunt incognita seclo.
Qui super instratis epulum regale tapetis,
Argento splēdens, atq; agmine septus ephœbum,
Inter longa obijt fastidia, Numinis vsq;
Immemor, & mendicantum securus egenum:
Hic vbi gemmantes laqueos, & compedis aurū
Exuit, & sese specioso carcere soluit,
Contentus Cerere innocua frugiq; Lyæo,
Et tenue ostentans pura cum lance salillum:
Dextera quas peperit sudatis vescitur escis,
Ipse sibi pariter famulus, dominusque. Sed ipsos
Post gladios auro insignes, gemmasq; superbas,
Cum scalpro & saxo vitam, moresq; modestos
Otho humilis repetit. Cordi est reuerētia Diuū,
Cordi pauperies, sua pristina cura. Perinde
Ac prægnans de more vmbris accensa fugandis
Cynthia; fraternos cum fœta propinquior ignes
Concipit, & flammam pleno bibit ore cadentem.
Nullas tūc reuomens obscura in nocte fauillas;
Gaudet auara nigris Mūdū inuoluisse tenebris.
Quod si retro abeat, vastumq; recurrat inane,
Quā longū in medio Cœli spatia āpla reliquūt,
Eminus excipiens vibrantem spicula Phœbum;

Ecce

Ecce iterum, quos aduersus communicat ignes
Frater, in obscuras dispensat prodiga noctes,
Restituitq; suum Mundo diffusa colorem.
Lætari properans ad patria tecta viator,
Dum nocturnus iter deserta per inuia carpit,
Ostendente viam Cœlo. PIA turba triumphat,
Et festas agitat luces, Altore reuerso.
Mugijt horrendū Stygius Draco. Iactat in altū
Antistes gemino geminas pro munere grates.

De Othone Scalptore aduersus mendaces Alchimistas.

ROmulidū Princeps quod Othonē vertit in aurū
Alchimicos aliquid posse, vel esse putat.
Credimus: assumpto si viuere pergat in auro,
Ac non in sese regrediatur Otho.
Sed quia mox recipit formamq; habitūq; priorē,
Hinc patet Alchimicos posse, vel esse nihil.

Admodum

Admodum Illustri, ac Reuerendissimo D.

ALEXANDRO MAGIO PRO-LEGATO

M. Antonius Bonciarius. S.

MAgnum munus mitto ad te, Magi vir Clarissime, sub Domini Redemptoris Natalem diem. Quid istuc est, inquies, quod tu amplificas insolēter, qui modeste debes extenuare? Iterum dico: Magnū, imo maximum. certe maiora nec Summus Pontifex dat, nec Reges expetunt. Erexi expectationem tuam, nec dubito quin sustineam. Solue vinculum, & explica inuolucrum: reperies, grandioribus insignem litteris, CARDINALATVM. Haud tuum illum tamen, dicet aliquis. Nescio illum: hic certe tuus est, quem ego feci, & ex formula tibi do, dico, addico, priuatus Prætori. Etiam illum alterum si respiciam, non video, ad quem propius pertineat, quam ad te. tuus enim Discipulus atq; alumnus est, qui per hunc cele-

bratur;

bratur; & a tua disciplina in illum gradum euectus, atq; assumptus est. vt vel hinc facile appareat, esse te illa dignitate dignissimum; qui potes alios dignos facere. Volebam ego ad te, non afferre descriptum, sed referre memoriter. Fefellissem in aliquo aures tuas, & iudicij seuerioris aculeos haud ego quidem vel retudissem, vel hebetassem; sed certe tam acriter intendi non permisissem, quam nunc scio per oculos intentum iri. Tametsi quid ego loquor stolidus & inconstans? Nihil vnquam malui, neq; nunc malo, quam mea cuiusquemodi argumenta, siue syntagmata iudicij tui limam subire: tecumq; non semel expostulaui, quod in ijs, quæ interdum emendandi gratia tibi ostendo, nihil vnquam aut deletum, aut correctum, aut loco motum offendi, quod te offenderit. Cogis enim suspicari, ne nihil probes, quia nihil improbas: & quemadmodum bonus medicus in ægroto ab omni spe derelicto medicinam non perdit; ita vereor aliquando, ne tu quoq; pro desperato habeas eum fœtũ, a quo sic abstineas manum; quasi negligas curare in parte, quod ex toto ægrum sit. Quamobrem si huius etiam, quem nunc mitto, morbus est insanabilis; per me pereat licet: nisi forte parcendum ei putaueris propter auguriũ, quod ex more sub initiũ anni, meis verbis, suo nomine tibi felix prænunciat, imitaberis parcendo cognominem illum tuum

Magnum,

Magnum, qui Alexandro Lyncistarum Fratri, mortem merito, vitam donauit, quia Regem eum primus salutauerat, seruās in illo auspiciū dignitatis suæ. Opto, vt bene valeas, & me diligas, Præsul Reuerendissime, cuius mihi & salus salutem affert, & amor gloriam. Ex Collegio S. Bernardi X Cal. Ian. CIↃ IↃ CIIII.

Ad Magnum Vrbis Priorem in ipso Collegij vestibulo recitata.

REGIA progenies, et sāguine clarus Etrusco,
Aldobrandinæ stirps rediuiua domus,
Ne graue sit, tenues humilesq; intrare penates,
Et calcare alto limina parua pede.
Talia tecta olim magni soluere Lacones,
Talia Cecropidæ, talia Romulidæ.
Et quid adhuc mortale loquor? Musæ esse sub istis
Non renuunt: dignum te quoque finge deis.
Et puerorum agmen, formatoresque, ducemque
Rere tibi nexu, mancipioque datos.

Illustriss.

Illuſtriſs. atq; Excellentiſſimi Principis

SILVESTRI ALDOBRANDINI CARDINALATVS.

HEROEM canimus, noſtra qui nuper ab Vrbe
Accitus Romam, toto plaudente Senatu,
Cardineos inter Proceres adſciſcitur. Illum
Thybris in hoc aliquot præſes nutriuerat ãnos,
Et ſacrum properabat opus: cum limen ad ipsũ
Reſtitit, & tædas cœpit ſuadere Metaurus.
Iudicium Regina freti, Peleia coniux,
Exercens, æqua litem diſcriminat aure,
Conciliatq; Deos. Talem Nicolaus ab alto
Materiam præfert: Vatem quoq; diriget idem,
Acrius inſpirans ad cœpta ingentia carmen.
FLORE ſuper viridi, molles arentia ſomnos
Corpora dũ biberẽt, ad amœni Thybridis vndas;
Ilicet æquoream videor tranſlatus in Aulam,
Vnde deûm voces, & iurgia ſedulus hauſi,
Quæ referam. Primus Thetidẽ ſtans ante ſedẽtẽ,
Tales mellifluo voces dabat ore Metaurus.
Gratulor æternis Superis, magnoq; Tonanti;
Quod dubiam de coniugio diſquirere litem
Cogimur ante Deam: quæ ſi non nupta fuiſſet,
Inclytus illuſtrem Mars ignoraret Achillem.

Militiæ

Militiæ immortale decus. Dea ſcilicet ipſa
Me præiudicio firmat, cauſamq; diremit
Exemplo prius ipſa ſuo, quam iudice lingua.
Iunonem legere ſterilẽ, innuptamue Mineruã
Debueras Tiberis*. poterat tibi numen vtrumq;*
Expertem thalami vitam cenſere probandam;
Non poterit Mater Tethys*. Neq; forſitan illa*
Te foueant, te reſpiciant: nam regia Iuno
Nupſerat ante Ioui, nũc præſidet vna Maritis*;*
Et telis inſtructa fremens vult prœlia Pallas*,*
Prœlia principibus non exercenda togatis.
At iacet in præſens Mauors*: afflicta per omnem*
Europam arma ſilẽt, & habent mortalia pacem.
Scilicet: Hungarico Thracũ rex ceſſat ab Iſtro
Cæſareos tentare duces, aut ſegnius vrget
Anglus ab Occaſu, priſcorum more gygantum,
Impia cœlicolas in prœlia poſcere Diuos,
Et magnum celſa detrudere ſede Tonantem.
Quid Scaldẽ loquar infidũ, Rhodanũq; rebellẽ?
Aut turpem Rhenum? quorũ confundier vndis,
Se pater Oceanus metuit, tuq; optima Tethys,
Deteſtata luem, rapidos auertere curſus
Cogis, & interno probibes ſuccedere Ponto.
Quæ nouus Alcides niſi robora frangit, & altas
Viribus vrget aquas, ſi nõ Romanus Achilles
Impoſitum Phrygijs aufert ceruicibus enſem;
Fruſtra pax, fruſtra requies aliunde petatur,
Et plus ter decimũ nos differat Hector in annũ.
Quod ſi Marte ſatos coniungere detur alumnos,

Et castum sociare torum ; cerno ecce renatos
Ausoniæ illustres Proceres, *ea fulmina belli*.
Terroremq; Asiæ, Guidobaldi *Principis acrem*,
Et prudentem animam, tua belli robora, Magne
Dux Consalue, *decus merito sortite* Latinum
Pompeij; & te Belgarum fortissime vindex
Maior Alexander Magno: nec flebere longum
Aldobrande Pater superas rediuiuus ad auras,
Amissamq; iterum rapturus ab hoste Canisam.
Quam mea si lucem præceps incurrerit ætas,
Et sperata meum complerint gaudia pectus,
O ego quam nitidas puris è fontibus vndas
Exultans per amœna traham! quantoq; virentes
Ornatu ripas, & prata recentia pingam!
Non me diuitijs, & verna fruge nitentem
Inuidus Eurotas, aut pulcher vincet Enipeus.
Sed te quæ pestes adigunt, quis liuidus vrget
Tbybri *furor, nostros interturbare triumphos,*
Et populis certam fessis auertere pacem?
Dispeream, nisi Turca tuis, aut Belga venenum
Fontibus infudit, vel peste nocentius omni
Exitiale aurum, mentemq; impleuit auaram.
Sic faceres solemne tuum: vix æthere ab alto
Quarta rotatur hiems, & quartus terret Orion,
Cũ pepulere hostes (quid enim rear) omnibus Vr
Viribus irrũpẽtẽ, homines, pecudesq; domosq; (bẽ
Corripere, & toto grassantem currere campo.
Tum memini, magnos Proceres, *sanctũq;* Senatũ,
Purpureosq; tuos, vix effugisse minantem,
Atq;

Atq; adscendentẽ per summa cubicula lymphã.
Quin etiam iumenta ferunt super alta domorũ
Rapta, & cum dominis sedem coïsse sub vnam,
(Indignum facinus!) qua natus nocte Redẽptor,
In cœlum Stygia populos rapturus ab vnda.
Sed velut infessos Numen cœleste Quirites
Eripiens, certo sub fine coercuit amnem;
Sic precor, vt reliquũ miseratus ab ęthere mũdũ,
Afflictosq; pios Tiberina fraude benignus
Vindicet, extincto donans ex hoste trophæum.
Talia feruenti trux dixerat ore Metaurus.
Talia sedato respondit pectore Thybris.
ME iuuat hoc ipsum, quod te, gratesq; benignis
Reddo, Metaure, libẽs Superis, quod femina Prin
Et Dea, quę coniux fuerit, de coniuge nostrã (ceps
Arbitra decidat litem. quod suspicor autem,
Nostra tibi, votisq; tuis Regina faueret,
Si non ipsa expers thalami, tædæq; fuisse
Mallet, et extinctus nimium cruciaret Achilles.
Sed quia virgineum frustra suspirat ademptum
Diua decus; Peleiq; faces exosa maritas,
Intempestiuos secum indignatur amores;
Fors erit innuptis, quam nuptis æquior: & te,
Matrona melius quam virgine iudice vincam.
Iuno optanda tibi potius fuit. illa Tonantem
Sępius incusat, quod se non esse maritum,
Sed fratrem meminit cum coniuge, cumq; sorore.
At nos bella premunt, & Thracius ingruit hostis
Pannonibus; vires in prælia congerit Anglus,

Et castum sociare torum; cerno ecce renatos
Ausoniæ illustres Proceres, *ea fulmina belli.*
Terroremq; Asiæ. Guidobaldi Principis acrem,
Et prudentem animam; tua belli robora, Magn
Dux Consalue, decus merito sortite Latinum
Pompeij; & te Belgarum fortissime vindex
Maior Alexander Magno: nec flebere longum
Aldobrande Pater superas rediuiuus ad auras,
Amissamq; iterum rapturus ab hoste Canisam.
Quam mea si lucem præceps incurrerit ætas,
Et sperata meum complerint gaudia pectus,
O ego quam nitidas puris è fontibus vndas
Exultans per amœna traham! quantoq; virentes
Ornatu ripas, & prata recentia pingam!
Non me diuitijs, & verna fruge nitentem
Inuidus Eurotas, aut pulcher vincet Enipeus.
Sed te quæ pestes adigunt, quis liuidus vrget
Thybri furor, nostros interturbare triumphos,
Et populis certam fessis auertere pacem?
Dispeream, nisi Turca tuis, aut Belga venenum
Fontibus infudit, vel peste nocentius omni
Exitiale aurum, mentemq; impleuit auaram.
Sic faceres solemne tuum: vix æthere ab alto
Quarta rotatur hiems, & quartus terret Orion,
Cũ pepulere hostes (quid enim rear) omnibus V r
Viribu[illegible] irrũpẽtẽ, homines, pecudesq; domosq; (h[illegible]
Co[illegible] toto grassantem currere campo.
T[illegible]s, magnos Proceres, *sanctũq;* Senatũ,
[illegible] *tuos, vix effugisse minantem,*

Atq;

Atq; adscendentẽ per summa cubicula lymphã.
Quin etiam, iumenta ferunt super alta domorũ
Rapta, & cum dominis sedem coïsse sub vnam,
(Indignum facinus!) qua natus nocte Redẽptor,
In cœlum Stygia populos rapturus ab vnda.
Sed velut insessos Numen cæleste Quirites
Eripiens, certo sub fine coercuit amnem;
Sic precor, vt reliquũ miseratus ab ęthere mũdũ,
Afflictosq; pios Tiberina fraude benignus
Vindicet, extincto donans ex hoste trophæum.
Talia feruenti trux dixerat ore Metaurus.
Talia sedato respondit pectore Thybris.
ME iuuat hoc ipsum, quod te, gratesq; benignis
Reddo, Metaure, libẽs Superis, quod femina Prin-
Et Dea, *quę coniux fuerit, de coniuge nostrã (ceps*
Arbitra decidat litem. quod suspicor autem,
Nostra tibi, votisq; tuis Regina faueret,
Si non ipsa expers thalami, tædæq; fuisse
Mallet, et extinctus nimium cruciaret Achilles.
Sed quia virgineum frustra suspirat ademptum,
Diua decus; Peleiq; *faces exosa maritas,*
Intempestiuos secum indignatur amores;
Fors erit innuptis, quam nuptis æquior: & te,
Matrona *melius quam virgine iudice vincam.*
Iuno optanda tibi potius fuit. illa Tonantem
Sępius incusat, quod se non esse maritum,
Sed fratrem meminit cum coniuge, cumq; sorore.
At nos bella premunt, & Thracius ingruit hostis;
Pannonibus; vires in prœlia congerit Anglus,

Et castum sociare torum; cerno ecce renatos
Ausoniæ illustres Proceres, *ea fulmina belli.*
Terroremq; Asiæ, Guidobaldi Principis acrem,
Et prudentem animam; tua belli robora, Magne
Dux Consalue, *decus merito sortite* Latinum
Pompeij; & te Belgarum fortissime vindex
Maior Alexander Magno: nec flebere longum
Aldobrande Pater superas rediuiuus ad auras,
Amissamq; iterum rapturus ab hoste Canisam.
Quam mea si lucem præceps incurrerit ætas,
Et sperata meum complerint gaudia pectus,
O ego quam nitidas puris è fontibus vndas
Exultans per amœna traham! quantoq; virentes
Ornatu ripas, & prata recentia pingam!
Non me diuitijs, & verna fruge nitentem
Inuidus Eurotas, aut pulcher vincet Enipeus.
Sed te quæ pestes adigunt, quis liuidus vrget
T*hybri furor, nostros interturbare triumphos,*
Et populis certam fessis auertere pacem?
Dispeream, nisi Turca tuis, aut Belga venenum
Fontibus infudit, vel peste nocentius omni
Exitiale aurum, mentemq; impleuit auaram.
Sic faceres solemne tuum: vix æthere ab alto
Quarta rotatur hiems, & quartus terret Orion,
Cũ pepulere hostes (quid enim rear) omnibus Vr
Viribus irrũpẽtẽ, homines, pecudesq; domosq; (bẽ
Corripere, & toto grassantem currere campo.
Tum memini, magnos Proceres, *sanctũq;* Senatũ,
Purpureosq; tuos, vix effugisse minantem,
Atq;

Atq; adſcendentẽ per ſumma cubicula lymphã.
Quin etiam iumenta ferunt ſuper alta domorũ
Rapta, & cum dominis ſedem coïſſe ſub vnam,
(Indignum facinus!) qua natus nocte Redẽptor,
In cœlum Stygia populos rapturus ab vnda.
Sed velut inſeſſos Numen cœleſte Quirites
Eripiens, certo ſub fine coercuit amnem;
Sic precor, vt reliquũ miſeratus ab ęthere mũdũ,
Afflictoſq; pios Tiberina fraude benignus
Vindicet, extincto donans ex hoſte trophæum.
Talia feruenti trux dixerat ore Metaurus.
Talia ſedato reſpondit pectore Thybris.
ME iuuat hoc ipſum, quod te, grateſq; benignis
Reddo, Metaure, libẽs Superis, quod fœmina Prin-
Et Dea, quę coniux fuerit, de coniuge noſtrã (ceps
Arbitra decidat litem. quod ſuſpicor autem,
Noſtra tibi, votiſq; tuis Regina faueret,
Si non ipſa expers thalami, tædæq; fuiſſe
Mallet, et extinctus nimium cruciaret Achilles.
Sed quia virgineum fruſtra ſuſpirat ademptum
Diua decus; Peleiq; faces exoſa maritas,
Intempeſtiuos ſecum indignatur amores;
Fors erit innuptis, quam nuptis æquior: & te,
Matrona melius quam virgine iudice vincam.
Iuno optanda tibi potius fuit. illa Tonantem
Sępius incuſat, quod ſe non eſſe maritum,
Sed fratrem meminit cum coniuge, cumq; ſorore.
At nos bella premunt, & Thracius ingruit hoſtis,
Pannonibus; vires in prœlia congerit Anglus,

bratur; & a tua disciplina in illum gradum euectus atq; assumptus est. vt vel hinc facile appareat, esse te illa dignitate dignissimum, qui potes alios dignos facere. Volebam ego ad te, non afferre descriptum, sed referre memoriter. Fefellissem in aliquo aures tuas, & iudicij seuerioris aculeos haud ego quidem vel retudissem, vel hebetassem; sed certe tam acriter intendi non permisissem, quam nunc scio per oculos intentum iri. Tametsi quid ego loquor stolidus & inconstans? Nihil vnquam malui, neq; nunc malo, quam mea cuiusquemodi argumenta, siue syntagmata iudicij tui limam subire: tecumq; non semel expostulaui, quod in ijs, quæ interdum emendandi gratia tibi ostendo, nihil vnquam aut deletum, aut correctum, aut loco motum offendi, quod te offenderit. Cogis enim suspicari, ne nihil probes, quia nihil improbas: & quemadmodum bonus medicus in ægroto ab omni spe derelicto medicinam non perdit; ita vereor aliquando, ne tu quoq; pro desperato habeas eum fœtū, a quo sic abstineas manum; quasi negligas curare in parte, quod ex toto ægrum sit. Quamobrem si huius etiam, quem nunc mitto, morbus est insanabilis; per me pereat licet; nisi forte parcendum ei putaueris propter auguriū, quod ex more sub initiū anni, meis verbis, suo nomine tibi felix prænunciat; imitaberis parcendo cognominem illum tuum

Magnum,

Magnum, qui Alexandro Lyncistarum Fratri, mortem merito, vitam donauit, quia Regem eum primus salutauerat, seruās in illo auspiciū dignitatis suæ. Opto, vt bene valeas, & me diligas, Præsul Reuerendissime, cuius mihi & salus salutem affert, & amor gloriam. Ex Collegio S. Bernardi X Cal. Ian. CIↃ IↃ CIIII.

Ad Magnum Vrbis Priorem in ipso Collegij vestibulo recitata.

REGIA progenies, et sāguine clarus Etrusco,
Aldobrandinę stirps rediuiua domus,
Ne graue sit, tenues, humilesq; intrare penates,
Et calcare alto limina parua pede.
Talia tecta olim magni coluere Lacones,
Talia Cecropidæ, talia Romulidæ.
Et quid adhuc mortale loquor? Musa esse sub istis
Non renuunt: dignum te quoque finge deis.
Et puerorum agmen, formatoresque, ducemque
Rere tibi nexu, mancipioque datos.

Illustriss.

Militiæ immortale decus. Dea ſcilicet ipſa
Me præiudicio firmat, cauſamq; diremit
Exemplo prius ipſa ſuo, quam iudice lingua.
Iunonem legere ſterilẽ, innuptamue Mineruã
Debueras Tiberis. *poterat tibi numen vtrumq;*
Expertem thalami vitam cenſere probandam;
Non poterit Mater Tethys. *Neq; forſitan illæ*
Te foueant, te reſpiciant: nam regia Iuno
Nupſerat ante Ioui, nũc præſidet vna Maritis;
Et telis inſtructa fremens vult prœlia Pallas,
Prœlia principibus non exercenda togatis.
At iacet in præſens Mauors:*afflicta per omnem*
Europam arma ſilẽt, & habent mortalia pacem.
Scilicet: Hungarico Thracũ rex ceſſat ab Iſtro
Cæſareos tentare duces, aut ſegnius vrget
Anglus ab Occaſu,*priſcorum more gygantum,*
Impia cælicolas in prœlia poſcere Diuos,
Et magnum celſa detrudere ſede Tonantem.
Quid Scaldẽ loquar infidũ, Rhodanũq; rebellẽ?
Aut turpem Rhenum? quorũ confundier vndis
Se pater Oceanus *metuit, tuq; optima Tethys,*
Deteſtata luem, rapidos auertere curſus
Cogis, & interno probibes ſuccedere Ponto.
Quæ nouus Alcides niſi robora frangit, & altas
Viribus vrget aquas, ſi nõ Romanus Achilles
Impoſitum Phrygijs aufert ceruicibus enſem;
Fruſtra pax, fruſtra requies aliunde petatur.
Et plus ter decimũ nos differat Hector in annũ.
Quod ſi Marte ſatos coniungere detur alumnos,

Y Et

Et castum sociare torum; cerno ecce renatos
Ausoniæ illustres Proceres, *ea fulmina belli*,
Terroremq; Asiæ, Guidobaldi *Principis acrem*,
Et prudentem animam; tua belli robora, Magne
Dux Consalue, *decus merito sortite* Latinum
Pompeij; & te Belgarum fortissime vindex
Maior Alexander Magno: nec flebere longum
Aldobrande Pater superas rediuiuus ad auras,
Amissamq; iterum rapturus ab hoste Canisam.
Quam mea si lucem præceps incurrerit ætas,
Et sperata meum complerint gaudia pectus,
O ego quam nitidas puris è fontibus vndas
Exultans per amœna traham! quantoq; virentes
Ornatu ripas, & prata recentia pingam!
Non me diuitijs, & verna fruge nitentem
Inuidus Eurotas, aut pulcher vincet Enipeus.
Sed te quæ pestes adigunt, quis liuidus vrget
Tbybri *furor, nostros interturbare triumphos*,
Et populis certam fessis auertere pacem?
Dispeream, nisi Turca tuis, aut Belga venenum
Fontibus infudit, vel peste nocentius omni
Exitiale aurum, mentemq; impleuit auaram.
Sic faceres solemne tuum: vix æthere ab alto
Quarta rotatur hiems, & quartus terret Orion,
Cũ pepulere hostes (quid enim rear) omnibus V r
Viribus irrũpẽtẽ, homines, pecudesq; domosq; (bẽ
Corripere, & toto grassantem currere campo.
Tum memini, magnos Proceres, *sanctũq;* Senatũ,
Purpureosq; tuos, vix effugisse minantem,

Atq;

Atq; adſcendentẽ per ſumma cubicula lymphã.
Quin etiam iumenta ferunt ſuper alta domorũ
Rapta, & cum dominis ſedem coiiſſe ſub vnam,
(Indignum facinus!) qua natus nocte Redẽptor,
In cœlum Stygia populos rapturus ab vnda.
Sed velut inſeſſos Numen cœleſte Quirites
Eripiens, certo ſub fine coercuit amnem;
Sic precor, vt reliquũ miſeratus ab ęthere mũdũ,
Afflictoſq; pios Tiberina fraude benignus
Vindicet, extincto donans ex hoſte trophæum.
Talia feruenti trux dixerat ore Metaurus.
Talia ſedato reſpondit pectore Thybris.
ME iuuat hoc ipſum, quod te, grateſq; benignis
Reddo, Metaure, libẽs Superis, quod femina Prin-
Et Dea, *quę coniux fuerit, de coniuge noſtrã (ceps*
Arbitra decidat litem. quod ſuſpicor autem,
Noſtra tibi, votiſq; tuis Regina *faueret,*
Si non ipſa expers thalami, tædæq; fuiſſe
Mallet, et extinctus nimium cruciaret Achilles.
Sed quia virgineum fruſtra ſuſpirat ademptum
Diua decus; Peleiq; *faces exoſa maritas,*
Intempeſtiuos ſecum indignatur amores;
Fors erit innuptis, quam nuptis æquior: & te,
Matrona *melius quam virgine iudice vincam.*
Iuno optanda tibi potius fuit. illa Tonantem
Sępius incuſat, quod ſe non eſſe maritum,
Sed fratrem meminit cum coniugę, cumq; ſorore.
At nos bella premunt, & Thracius ingruit hoſtis,
Pannonibus; vires in prœlia congerit Anglus,

Et toties victus, toties vincendus in ipsum
Exacuit victorem iras, semperq; resurgit
Fortior, acciso pugnantum robore Belga.
Sunt alij, quos frena tenent infida timoris,
Pontificumq; minæ: Rhodanus mihi, Rhenus, &
Indiciũ fecere. Vtinã nõ vera Metaure (*Arnus*
Questus in hoc fueris. Viuat spes vnica Clemẽs
Viuat, & æterno constringat fœdere reges.
Quid tamen hæc motis prosunt connubia bellis?
Nẽpe Duces atq; arma dabunt. Adeone gerũtur
Bella manu forti, vt partem non occupet acre
Militis ingenium? Quamuis quæratur vtrumq;
Virtus & robur; tamen huic præponitur illa,
Et prudens valido melior Dux iure putatur.
Ergo etiam sapiens exercet bella togatus,
Et plus consilium, quam dextera militat. Audi:
Non ego te veterum per longa exordia duco:
Tantum nostra puta. Noster cum frater Iberus
Affinem contra Gallum ferus arma moueret,
Sanguineis feruens vndis, nec victor in illum
Segnius influeret Rhodanus, pugnamq; cierent;
Quis nisi purpureo spectandus murice Princeps,
Aldobrandina surgens ab origine Petrus,
Herculeum molitus onus, vada pondere vasto
Pressit, & vrgẽtes hinc atq; hinc dispulit vndas?
I nunc: & menti gladios oppone furentes.
Quin etiam magnosq; duces, sæuasq; cohortes
Iungere, & hastatas in prœlia trudere turmas
Mens Musis addicta potest, nec purpura ferrũ

Mira-

Mirabunda pauet. placido sub pectore Mauors
Indormit telis; at non extinguitur. illum
Si fortuna Vrbis, si facta iniuria Coelo,
Si scelus inclamat populi, iuuat ense recingi,
Et frontem galea, & clypeo munire sinistram,
Dura manu lato crispantem hastilia ferro.
Vnus in exemplum fuerit pro millibus Heros,
Idem Heros: incepta vide. Cum tela pararet
Eridanus, nobisq; ferox illuderet: arma
Expediens, hieme in media, cum multa viror
Millia sub signis validam festinus ad Vrbem
Duceret: ecce boant Alpes, & ferrea bellum
Gens tremit. Hadriacas penitus sese abdit in vn-
Rex Padus; et ferrugineã grãdiret vt alnũ, (das
Conduxisse Charon fabrum narratur Epeum.
Quin etiam Pluto *vacuum facturus Auernum*
Hospitibus, quos bella nouos, & fata parabant
Innumeros, vltro paulum subsedit, & infra
Quam solet esse fuit. frustra: delusit vtrumq;
Et nautam, & regem Petrus*: certamine nullo*
Conficit, & nullo victoria vulnere constat:
Venit, vicit, abit. Huic tu conferre Camillos,
Aut fortes Marios, *aut nomina vana* Catones,
Et Fabios ausis? Cedit *fastosa vetustas,*
Purpureo collata Duci: Quid cœpta recentum
Inferiora refers? Magno nec Patre minorem,
Nec Patruo *iuuenem, pariter pietate, vel armis*
Insignẽ video. cãdens Crucis aspice signũ, (mat
Aspice, magnanimũ quod pectus honestat, & ar-

Succinto ad lęuum gladio latus. Ergo Quirites,
Et Solymos idem ludat? duplicemq; senatum,
Atq; vtrumq; sacrũ pariter defraudet vtrũq;?
Et properatus Hymen venientes obruat annos?
Quid si fata negant? Iam magnus Auunculus,
Fatorũ interpres, Cœlo sic iussus ab alto, (ille
Cum Puerum nostras esset missurus in oras,
Me vocat: et Quãquã (dixit) me Felsina, quãquã
Me Parma, et patriæ poscũt mea pignora Pisæ;
Augustam malo, quam tu præter-fluis vnda
Thybri tua, & campos æterna fruge maritas:
Tu mihi fac, iuuenem varijs, & principe dignis
Artibus excultum, paruo post tempore sistas.
Promisi: seruabo fidem: nec vana, Metaure,
Me tua suspectum Dominæ conuicia reddent,
Vsu spectatum longo, carumq; Parenti.
At mersi, strauiq; homines, armenta, domosq;
Sub Domini natalem horam, stabulumq; sub vnũ
Cum Dominis ipsa ire suis armenta coegi.
Hoc fateor: nec muto tamen, factumue retexo:
Rex superum toto iussit mea flumina fundo
Surgere, perq; Vrbem late stagnare, vetustas
Deletura Patrum maculas, & fœda Quiritum
Pectora candentes expurgatura per vndas:
Testis es alma Thetis, quæ me sub claustra furẽtẽ
Rumpentemq; aditus, impulsa ferocibus Euris,
Retro adigis, celsasq; iubes transcendere ripas.
Vt quando ad sanctum præsepe superbia gressum
Non ferret, Dominiq; sui cultumq; laremq;

Fasti-

Fastidiret; ego præsepia tota per aulas
Distribuens, hominiq; suas ab origine sordes
Ante oculos vltro referens, fastumq; retundens,
Miscerem iumenta viris, & stercora gemmis.
Nec pudet incepti, vel mersæ pœnitet Vrbis:
Illa suas abicit sordes, ego iussa capesso:
Quod si cælestes iterum commouerit iras
Vrbs mea, si Patres, si plebs insana, recenti
Nequicquam correcta malo, per deuia rursus
In præceps ierit, turpi pessundata luxu,
Si thalami neglecta fides, si fœdus honoris,
Fœdior argenti mentem corruperit ardor:
Exurgentem iterum cernent in cornua Thybrim
Per fora, per plateas, per celsa cacumina septem,
Vna homines segetes, armenta, domosq; trahentē.
Me Clanis atq; Anio fratres, me flumina mille
Fluminibus iungēda meis; me vasta Charybdis,
Et Scyllæ rabies, & monstra horrenda profundi
Viribus augebunt. Sed non moror ista: furenti
Magna mihi Mater Thetis auxiliaribus vndis
Præsto erit: alta Pater rumpet confinia Nereus,
Et refluens nullo frenabitur obice Pontus.
Tu quoq; si iubeam, totas laxabis habenas,
Tyrrhenis miscendus aquis; & præpete cursu
Nostra vel inuitus rapieris in arua, Metaure.
QVAE Tuscus postrema fremēs cū clauderet am-
Rauca minās, iterū rixari cœperat Vmber: (nis
Cum longæua Thetys placido sic ore profata est.
Parcite clamosis Nati contendere verbis:

Y 4 *Quod*

Quod petitis, quod speratis continget vtrique.
Sic placitum Superis. Ego vobis carmine pădam
Fata breui. Veteres ferro qui proterat hostes,
Aldobrandina prognatus origine, quantus,
Et quam creber erit Dux agminis! illum
Farnesio, hunc Mŏdragonio cŭ sanguine mixtŭ
Aeratas video trans æquora ducere classes,
Et Solymis cruda Turcarum cæde receptis,
Vltra Sauromatas regem compellere Thracum.
Cerno alios Belgis, alios inferre Britannis
Arma tremĕda, Duces, quos incitat æmula virtus
Et Patris & Patrui, pueros. Sic nobilis ardet
Hinnulus, armatum cum prœlia poscere patrem
Aspicit; & teneros præcurrere viribus annos
Nititur, inualidus pugnantem tollere dorso,
Et duros ferre ore lupos. Summo ergo Parenti
Reddatur tyrio decorandus murice Princeps,
Et meritos parta capiat virtutis honores. (cha
Hæc Thetis. Arguta mox personat æquora cŏ-
Nereidas Nymphasq; vocans ad littora Triton,
Credo tuum, Princeps Aldobrandine, triŭphum
Dotibus aucturas: sed enim mihi buccina somnos
Inuida conspicuos adimit, redditq; tenebris.

M. Ant.

M. Antonius Bonciarius BALTHASARRI ANSIDAEO S.D.

Romam.

SVBIRATVS Nerucio ſum; quamquam tui meique ſic amāti. vide cauſam, & cenſe. dat mihi Carmen Quęrengi a te miſsum. lego, relego, dilaudo, ago gratias. inter fabulandum vox mihi excidit. præſens erat Viuulus noſter: hunc roges licebit, ſi mea in dubium veniat fides. Poſsim inquā, docere lepidum argumentum, & non ineptas rationes, ſi quis huic Carmini reſponſum pararet. nihil aliud. Homo autem ſic accepit, quaſi hoc dixiſſem: Me reſponſurum. neque accepit tantum & ſibi habuit, ſed etiam alijs tradidit: palam dixit amicis, atq; ad te ſcripſit, quantum illemet nudius tertius mihi

fecit

fecit indicium. Quid quæris? commotus ex animo intimo sum. nec aspere illum tamen aut acerbe increpui. apud forum me conuenerat comitatus comitatum. veritus sum facere homini grauius conuicium in turba. hoc tantum dixi: Factum male Neruci, cum id spoponderis, quod me nunc quidem haud arbitror posse præstare. At ne dubita: lues ipse meritum supplicium, aut iudicij si perperam faciam, aut mendacij si omnino non faciam. Cum hoc dicto regredior domum, sane animo perturbato atq; suspenso, quid agerem, quid conarer, quid scriberem denique: num expurgationem ad te, num laudationem de Quærengo, num accusationem contra Nerucium. Meditanti, nec facile rem explicanti, tandem ceteris omissis, hæc mihi post paulo in mentem venerunt ad Musas Quærengas. Quæ quidem subito effusa, velim antea perlegas, censeas, emendes, quam aut Quærengo, aut Sempronio, aut Burghio, aut alijs ostendas. Te cupio etiam atq; etiã valere mi Ansidæe. Perusia postridie Nonas Iunias CIↃ IↃ IIX.

IO. BAPTISTAE VICTORIO

Pauli V. Pont. Max. Nepoti. A. Q.

Gentis amor Latiae, spes Tybridis altera magni;
Nobilium iuuenum Princeps, cui cingere crines
Iam dudum merito sacra purpura gestit honore;
Quid toties precibus, toties me incessis amaris
Verborum stimulis, ignota vt lucis in oras
E latebris tandem educam, quae multa per annos
Florentes numeris lusi modulata latinis?
Magnanimae ardorem mentis, studiumq; mearũ
Agnosco admirans laudum, nec pectore nostro
Dum viuam tanti Monumentũ excedet amoris.
Dura sed aduersae vt metuam discrimina famae
Ingenij ais parua mei, risuque frequenti
Magnorum traducta mouent me nomina Vatũ.
Aspice, ne antiquos memorẽ, quae spicula linguae
In sacrum vibrentur opus, quod bella Tyrannis
Eois indicta canit, Solymamque receptam.
Aspice, vt inuidiae liuenti infecta veneno

Crebra

AD ANTONIVM QVAERENGVM
Poëtam atq; Oratorem Clarissimum.

M. ANTONII BONCIARII
Carmen.

QVAERENGE vt nostras Carmen peruenit ad aures
Ansideo mittente tuum; quod longa renarrat
Consilia, incertamq; alto sub pectore mentem,
An premeres, an proferres iuuenilia quondam
Emodulata tibi, & cultu donata latino:
Haud memorare queã, dubio mihi concita motu
Pectora, quam fuerint inter suspensa legendum,
Eccubi se tandem sententia sisteret. At cum
Te video nostris demum subscribere votis,
Et Musas lucem non exhorrere Querengas;
O quam læta meum pertentant gaudia pectus,
Et iuuat hæc etiam, qua pascimur ante, voluptas!
Quæ vel in immensum celeri cũ cresceret auctu,
Nec sese aggeminans caperet; prior ecce sub auras
Erumpit, Vati grates festina rependens,
Et mox in vulgum lentas tractura Camenas.
Nã quid adhuc cessas? quis te Querẽge moratur
Post etiã promissa pauor? Vatum alter & alter,
Qui possunt, inquis, magno certare Maroni,
Seu calamos inflare leues, & mollia circum
Prata libet cantu teneras mulcere Napeas,
Seu regumque ducumq; tonare strepentia bombo
Arma

Arma parant grauiore: tamen crudelia linguæ
Spicula, tartarijs imbuta liquoribus, in se
Audaci coniecta manu sensere. Quid ergo
Me faciant, inquis, longum cedente duobus
Materia, ingenio? Possum tua dicere secum
Ferre aliquid Quarēge, quod eminus arceat ho-
Atq; vetet conferre manū. Sed nolo pudori (stē,
Esse tuo grauior: libet istuc sponte fateri,
Impendere tuis eadem discrimina chartis,
Et fore qui rodant, lacerent, per cōpita raptent.
Non aliter Gotfrede tibi crepuere legentum,
Et Myrtille tibi, labra infida atq; profana:
Quamquam tu Fidus, quāquā tu Sanctior esses.
Quid tamen effecere? quid obfuit æmula tandem
Inuidia, & diro rabies armata veneno?
Profuerunt istæc potius, nomenque per Orbem
Distulerunt insigne magis. conuicia grandes
In laudes versa. hæc proprio de robore robur
Hostile auxerunt, & famæ alimenta fuere.
Haud secus illustrem si quis compescere flāmam,
Candentesque velit prunas, laqueare sub altum
Lumina vibrantes, tenebris & nocte fugata:
Siue hic frondiferas altis de montibus ornos
Voluere, siue alnos virides multoque madentes
Flumine in aduersis properat cōstruxe caminis,
Vulcanumque omnem telis vnde vnde petitis
Obruere; ille quidem visus languescere primo,
Et vix respirans alto sub pondere palmam
Concessisse hosti. Sed enim post ecce resurgens
Et

Et sensim moles impostaq; robora lambens,
Vt bibit humentem labris ardentibus hostem,
Siccatasque auidis præcoxit faucibus escas;
Hac furit atq; illac immissis acer habenis,
Se superatque ipsum, viresque acquirit edendo.
Vsque adeo dum tota vorax molimina pascens
Hostili congesta manu, robustior atque
Splendidior, quã dudũ, altas consurgit in auras.
Quare optanda tibi potius Quarenge duorum
Condicio Vatum, quam formidanda videtur.
Imo vouendum vltro, tua ne felicior illis
Musa sit, & casus veniens incurrat eosdem.
Quod nisi suppeterent hac tempestate dicaces
Zoilus & Momus, quorum est vberrima semper
Annona, & nostro fortasse feracior æuo;
(Fortiter hoc dicam) pretio tibi rerer emendos.
Tam sublime locat prostrata calumnia Famam.
TV flos Hesperidum Princeps, pia cura Dearũ
VICTORI, Aonio crines in fonte lauantum,
Et longe arcentum nitidis à vultibus annos,
Carpentes annos mortalia cetera: Victor
Temporis & morum: castis læta otia Musis
Cum facias, Vatesq; pios Phœboque locutos
Non renuente fouens, merito digneris honore;
Macte animi, macte ingenij virtutibus esto.
Artibus his Cælum, memoremq; in secula famã
Non moriturus emes. Votis Deus annuet olim,
Atq; incepta nouo celebrabunt carmine Vates.

I. Lipsius

I. LIPSIVS

De Oſtenden Belgarum Vrbe a Chatholicis obſeſsa.

VRBS LOQVITVR.

AREA parua ducũ, totus quã cõſpicit Orbis,
Altior vna malis, & quam dãnare ruinę
Nunc quoque fata timẽt, alieno in littore reſto.
Tertius annus abit: toties mutauimus hoſtem.
Sæuit hyems pelago morbiſq; furentibus æſtas.
Et minimum eſt, quod fecit Iber. crudelior armis
Orta lues in nos. nullum eſt ſine funere funus,
Nec perimit mors vna ſemel. fortuna quid hęres?
Quis tumulos moriẽs hos occupet, hoſte perempto,
Quæritur, & ſterili tantũ de puluere pugna eſt.

Ad Oſtenden cladi proximam

RESPONSIO.

VRBS es parua quidem, populis ſed magna propinquis,
Magna et dura nimis de te ſpectacula præbes
Infelix. maiora tamen diſcrimina reſtant
Exantlanda. Erras, memorem ſi Numinis iram
Infandis toties excitam ritibus, alto
Demerſam pelago ſperas, aut peſte piatam.

Feruet

Feruet adhuc, nec cæde tepet contenta tuorum.
Excidio ſatianda tuo eſt. Dum mœnia tellus
Suſtinet, & lapidi ſuperat lapis; ignea cælum
Arma pluet, larguſq; rigās fœda oppida ſanguis
Heu trepidet fruſtra diras extinguere flammas.
Vna malum redimat ſupplex, imo eruta fundo
Lacruma, conuerſæ teſtis fidiſsima mentis
Ad Regem Patremq; tuum. Niſi fleueris autem
Obfirmata, duplex immania crimina fatum
Inſequitur. præter mortem pęnaſque ſequaces,
Quæ te æterna manēt Stygio ſub gurgite merſā:
Ipſa etiam cum cæde hominū, cū clade domorū,
Fama cadet, mortemq; Orbi moriere ſecundam.

Cum eadem expugnata Dialogiſmus.

ANTE Oſtenden eras: te nūc oſtendere nemo
Cū queat euerſam, quod tibi nomen erit?
Ipſa erit Oſtenden. nec enim mutare neceſſe eſt.
Hoſtibus oſtentu' ſunt mea fata meis.

Ad ALEXANDRVM MAGIVM Peruſiæ Vmbriæq; Prolegatum.

PItagoræ ſi vera foret ſententia, Magi,
Spiritus vt primo migrans è corpore, corpus

Z In-

Informare aliud posset: velut Ennius olim
Transfusam in se animā vatis cātabat Homeri:
Ambigerem, mens cuia tuos animauerit artus,
Et cuius vitam viuas per secla secundam.
Namq; ego si percepta tibi primordia Mundi,
Naturasq; omnes rerum, causasq; latentes
Respiciam; vel Pitagoram te suspicer ipsum
Esse, vel inferiorem annis, non arte Platonem,
Discipulumue illum magnum, fortasse futurum
Maiorem, sensus si refrenare superbos
Posset, & egregio non dissentire Magistro.
Sin medicas expendo artes; vel Apolline natum
Crediderim, Coo vel successisse docenti,
Vel rediisse nouum, spatio breuiore, Galenum.
Rursus Cæsarei soluentem enigmata Iuris
Qui te cumq; vident Magi, cælestia iurant
Numina; Sulpiciū, Paulum, Caiumue sub auras
Emersisse iterum populis dare iura futuris,
Et formare nouis corruptum legibus Orbem.
Quod si artes inter princeps Sapientia Cœlos
Ingrediens, mentes contemplatura beatas,
Et vel in immenso lumen fixura Tonante,
Si cunctarum, inquam, regina Scientia quantā
In te babeat partem, Magi, spectabitur; ipsos
Ecclesiæ magnos Proceres de gente Pelasga,
Vel Latia liqueat, pectus remigrasse sub istud,
Et tecum reduces aliquem durare per annos.
Quis tamen iste aliquis? Si quis, me iudice, certet;
Arbitrer Origenes, aut immortalis Aquinas.

Nec

Nec vero excelsas cum perlustraueris artes,
Despexisti humiles, seu molli ludere versu,
Seu canere heroo malis, seu lege solutis
Vocibus historias, & vitæ dogmata pandas,
Tanta venus, tanta est doctæ facundia linguæ;
Vt Samius si vera senex dixisset; Horati,
Aut Vari, aut Tulli possis hausisse videri
Illustres animas: nec sit decernere certum,
Quæ tibi de multis nascenti obuenerit vna.
Quid Senecam, *quid Plutarcũ, quid cetera dicã*
Lumina Graiorum Romanorumq; ? quid ipsos,
Aeui scriptores veteris Crispumque Titumque,
Deliciasq; tuas Tacitum*? quem iure putarim*
Immigrasse in te, magnus nisi Lipsius *illum*
Ante intercepset, calamoque & voce teneret.
At mihi si detur multis in millibus aptam
Concinnamque animam tibi delegisse: Vir vnus
Omnigeno rerum studio clarissimus, ille
Ingenio, pietate, animi candore, senili
Consilio iuuenis, vultu spectabilis ipso,
Mirandus factisq; suis factisq; suorum,
Vnus pro cunctis fuerit Mirandula Picus.
Amplius hoc vnũ peterẽ tibi; quod peto supplex,
Et precor ex animo, fusis ad Numina votis,
Vt qua Nestoream tibi pectus & ora dederunt,
Currere Nestoreos donent feliciter annos.

M. Antonius Bonciarius

REVERENDO
P. ISIDORO PICTORIO
S. P. D.

FECI carmina, quæ sum iussus: & peiora opinor, quia iussus. superba est Musa: canere ad præscriptum alterius aut non solet, aut perperam solet: illud mihi frequenter accidit, hoc frequentius: certe hodie. Itaque non solum tuam, sed etiam Reuerendissimi Antistitis & Domini mei requiro censuram. Hæc raptim dedi a lectulo, cui me affixum tres ipsos dies magni articulorũ dolores tenuerunt tenentque. Quo est æquius, mi Pater, vt ignoscas nostro fœtui, ad quem mox conceptum, editum, dimissum redundat infirmitas parientis. Vale. In Collegio S. Bernardi, secunda Sabbati sanctioris. CIↃ IↃ CVI.

De

De Christo Domino Cruci affixo, totis artubus excruciato. I.

CVspis acuta manus fodiēs heu fixerat ābas;
Fixerat heu ambos cuspis acuta pedes.
Spina coronabat (lusu crudele!) verendum,
Dignumque astrifero cingier orbe caput.
Irriguus lacero manabat corpore sanguis,
Abstulerantq; locum vulnera vulneribus.
Vna sub ingenti membrorum clade dolentum,
Vna immunis adbuc lingua doloris erat.
Idque dolens ipsum, quod sola dolore careret,
O DEVS ô Genitor me nè relinquis? ait.
Inde ad carnifices humilis conuersa superbos,
Ipsa etiam SITIO, dixit, acerba pati.
Nec mora: fel mixto labris impingit aceto
Barbarus: & fauces radit amarus acor.
Hic illa exultans, & conscia Numina clamans;
CONSVMMATA, inquit, sūt tua iussa Pater.

In Christi Corpus lancea perfossum. 2.

COrpore ab exāgui cur profluit vnda? Tepētis
Non credo vlla super gutta cruoris erat.

De Iugo Christi ad pigrum cultorem. 3.

ANte fuit, cũ grãde humero sustollere põdus,
Et legum prisco subdere colla iugo
Vix poterat, vix audebat terrena propago.
Mollia terga ingens deÿciebat onus.
Ast vbi Cultor adest superis delapsus ab hortis,
Et segnem facili vomere tentat humum;
Se statuit dextrum, te collocat ipse sinistrum,
Et leue coniunctis viribus vrget opus.
Quid talem renuis Socium? *pars magna laborum*
Ipsius est: merces tota futura tua est.

Christus ad hominem redemptum. 4.

SI tibi te propter do me; te propter eundem,
Obsecro, quid non das te quoque tute mihi?

Ad Deiparam Virginem. 5.

OMnes ingenÿ tendens ad carmina neruos,
Optaui laudes dicere Virgo tuas.
Ac licet innumeris radient tua pectora gemmis,
Vna licet teneas quicquid vbique boni est:

Nulla

Nulla tamen pigram solutt sententia linguam,
Nullaque sunt calamum verba secuta meum.
Vnde istuc Regina mihi? num copia mentem
Turbat, an ipsa meo respuis ore cani?
Non puto. Nam res ingenium plus excitat illa,
Hæc est a Genio res aliena tuo.
Cur igitur? Credo, vt Numen cor adoret, & esse
Agnoscat meritis verba minora tuis.

Ad S. Ioannem Baptistam. 6.

QVI reserat Cœlos impacto ad limina trūco,
Hæc accessuris verba Redemptor ait.
ESTO puer, qui limen amas intrare beatum.
Non recipit magnos ianua parua viros. (est?
Hoc quādo sic prorsus habet, nec fallere Diuūm
Qua tu Zaccarides ingrediere Polos?
Non etenim Magnus tātum, sed maximus inter
Dictus es humano de genitore satos.
Et dictus Domino es, Domino sic dictus eidem est,
Qui tantum pueros ad sua tecta vocat.
Vt te sideriis excluserit ædibus vnum
Ante alios: Magnum scilicet ante alios.
Et tamē hoc verū Pater est. tu dignus Olympo es
Ante alios, quanto maior es ante alios.
Nec Domini vox vera minus. Quia scilicet id est
Paruus es ipse tibi, Magnus es ante Deum.

S.Ioannes Christum baptizans. 7.

DIscere vis, quã sit magnus paruusq; Ioãnes?
Quantus nempe Deo, *quantulus ipse sibi?*
NON sum dignus, ait, sandalia soluere: nõ sum.
Et iussus Domini *perluit amne caput.*

Ad S.Petrum Apostolum. 8.

FLexanima te voce stipẽ cũ pauper & æger
Po*sceret intrantem limina sacra, Pater,*
Non habeo, dixti, argentum mendice nec aurũ.
Hoc habeo. IN Chri*sti nomine, Surge & abi.*
Ille ego sũ ô supreme Parens, & pauper & æger,
Teque tuas hodie præstolor ante fores.
Obsecro, pasce libens inopem, atq; attolle iacentẽ,
Non potes vt quondam, dicere NON habeo.
Nam tua thesauris ingentibus arca redundat:
Et vis curandi, quæ fuit ante, manet.
Ast ego corpoream non postulo Petre *salutem,*
Nec quas aut Ganges, aut parit Indus *opes.*
Maior auarities animo stat fixa sub alto:
Dona, sed æternum dona futura, peto.
Abijce lethales ægro de pectore noxas,
Et noua purgato semina sparge solo.

Has

Has si diuitias, hanc si das Petre salutem:
Cetera qui fuerim sim licet, æger, inops.

De Monacho quodam Pontifice: 9.

CVM Monachus furtim soliū repsisset ad altū
Et Numinis iam gereret in terris vices:
Miratus radiantem Aulam, pictosq; tapetas,
Et aureis in lancibus pingues dapes;
Affatus veterem sic dicitur esse sodalem.
Non possum ego, quæ verba Præcessor meus
Quōdam vsurpabat, nunc vsurpare, NEC aurū
Mihi nec argentum esse, quod donem, Pater.
Nō potes hoc inquit Monachus: sed nec potes illud
Quod sequitur, imperare SVRGE, *et ambula.*

De S. Ioanne Apostolo & Euangelista. 10.

ECquid Ioannes Domini se semper Amicum
Nominat, & nomen supprimit ipse suum?
Ipse suum tanto Dominum complexus amore est,
Mutuus in tantum creuerat huius amor;
Vt se se oblitus, nomen quoq; perderet: vnum
Hoc sciret, carum se Domino esse suo.
Non secus amittit rapidus sua nomina Ganges,
Postquam se immenso miscuit Oceano.

Septies

Septies in die cadit Iustus.

II.

Qui septies in singulos Iustus dies
Cadere potest? vt Spiritus Sanctus docet?
Et septies, & sæpius quam septies
In genua, non in scelera procumbens, Deum
Supplex adorans & precans, Iustus cadit.

Ad I. Lipsium vita defunctũ in feria quinta Hebdomados Sacrosanctæ.

12.

AD Domini Cenam, Lipsi, quod scãdis in altũ
Aethera, mirari desino: IVSTVS eras.

M. Ant.

M. Antonius BONCIARIVS

M.ANTONIO FRATRIS F. S.

In Collegium S. Bernardi.

DEDI nudius tertius lōgam epistolam Francisco nostro ad te redeunti. per quam executus sum diligenter ecquæ studiorum ratio ineunda, & tenenda sit tibi per hos dies, in quibus abesse a me cogeris, & docenti Patruo dare operam non potes. Eam volo in etruscum conuertas, & hoc triduo, aut quatriduo remittas. Ceterū quo tu alacrius obsequare mandatis meis, vide quam fuerim ego memor tuorum. Heri circiter horam noctis secundam Pater affuit cum epistola tua, in qua vehementer a me contendis, vt in singula sacri Rosarij mysteria binos versiculos pangā, quibus quasi ducibus vtare cum tuis sodalibus inter orādum.

Et

SANCTISSIMI ROSARII
Quinque myſteria læta.

Annunciatio.

Nuncius a Cœlo Gabriel dimittitur alto:
Concipit, illapſo Numine, Virgo Deum.

Viſitatio.

Viſitat Eliſaben: materno a ventre Ioannes
Quem præcurſurus venerat, ante colit.

Natiuitas.

Naſcitur in terris pauper, cui patria Cælum;
Largiturq; omnes omnibus vnus opes.

Præſentatio ad Templum.

Excipit infantem Senior, mors excipit illum.
Res miranda! virum, vita oriente, mori.

Diſceptatio cum Doctoribus.

In templo docuit ſacro Puer ore magiſtros:
Mox eſt a Puero doctus vterq; Parens.

Quinque

Quinque myſteria triſtia.

Oratio in horto.

En rigo terra tuas ſudato ſanguine ſordes:
Cur etiam funus poſcis auara meum?

Flagellatio ad columnam.

Corpus vulneribus deſit. tamen effera corpus
Heu ſemper lacerat vulnere virga nouo.

Spinis coronatus.

Dum me per ludum crucias, & ſente coronas;
Ludibria ſpinis aſperiora fero.

Iter ad caluarium.

Ne quid ſupplicio deſit, coguntur acernam,
De qua penderent, corpora ferre trabem.

Crucifixio.

Figeris & moreris. dextrũ latus haſta, ſiniſtrũ
Aeterno æternus vulnere fodit amor.

Quinque

Quinque mysteria Gloriosa.

Resurrectio.

Iure dies hæc dicta Dei : cui nomina surgens
Dat Deus, & viuum reddidit illa Deum.

Ascensio.

In Cælum retulit victo Deus hoste triumphum.
Multa fit Adamidum gens rediuiua comes.

Missio Spiritus Sancti.

Cur hodie tantis ardent præcordia flammis?
Subdidit Empyreo Christus ab orbe faces.

Assumptio Virginis.

Ad Cælos est ducta: carere quod amplius illa
Nec Deus est visus posse, nec illa Deo.

Coronatio.

Deniq; Cælicolum Dominam duodena coronant
Sidera: Sol cingit corpora, Luna subest.

SS. Apo-

SS. Apostoli Simon & Iudas Thadæus Diaconum falso ab infamia & morte vindicant, simul edito & miraculo, & documento.

Longus erat Satrapes Pellæa clarus in Vrbe,
Cui super illustres sic indulgebat amicos
Rex ipse, vt ferret partes a Rege secundas,
Nec quisquam celsa sublimior esset in Aula.
Huic de coniugio pariter splendente trilustris
Nata erat. appellant Aegyptia saxa Coriscam
Barbaricis incisa notis. hanc propter honestos
Et Diua *dignos habitus, orisq; decorem,*
Optarunt casta Proceres sibi iungere tæda,
Insignes Proceres, *genus alto a sanguine Regum,*
Qui late imperium dites habuere per Indos.
Illa tamen claros numquam dignata maritos
Restitit obfirmata, preces & vota Parentum
Despiciens querebunda. decus sanctumq; pudorē
Esse sibi cordi: tædas odisse caducas,
Optare æternas: votum vouisse Dianæ:
Huic se virgineum seruare in secula florem.
Hæc virgo. Et *quãquã pulchra de prole nepotes*
Iam sibi decrerant, præsumpserantq; parentes;
Assensere tamen faciles, secumq; pudorem
Quamlibet ingratum commendauere puellæ.

Prō

Prô quam non facile est, vitare Cupidinis ignẽ,
Si species, ætas, luxusq; subingerat escam!
Quã pariter facile est, tenero dare verba Parẽti,
Cognatasq; aures mulcere! Philostratus Aedis
Curator sacræ, cultorq; Serapidos, ausus
Virgineos tentare animos, ausoq; potitus
Infando: vt crimen venter confessus apertum est,
Partusque appetiere dies: tum multa timenti
Multa timens instat, culpamq; arcere nefandã
Culpa illã grauiore docet. Pius hospes in Aula
Creber erat, vesterq; comes, vesterq; sacrorum,
Alpheide fratres, noua per delubra minister.
Timotheo nomen, nec abhorrens nomine pectus,
Cælesti splendens candore. Philostratus illum
Nõ vna ex causa infensum inuisumque, nefandi
Criminis insimulare iubet. Consentit amanti,
Et fœde mendax furialibus incita monstris,
Vim sibi lasciuo mentitur ab hospite factam,
Infelix! Iram non continuere Parentes,
Non Rex ipse. Reum crudeli funere iam iam
Mactari; sæuas rigido cum fuste secures
Festinare iubent. Gaudere Philostratus, vna
Quod facinus ratione triplex absoluit: in hostem
Crimina contorsit; seseq; suamq; Coriscam
Eripuit fato; & causas congessit amandi.
Nec mora: dũ medius rapitur tela inter et hostes
Infamem ad mortem iuuenis castissimus; ipso
Cædis in articulo, cum barbarus alta leuatam,

Aa *Nescio*

Nescio quid remorans, in candida colla securim
Impacturus erat: Venistis Apostoli, et Heus heus
Clamastis, cohibete manum, seruate pudicum:
Nostri oculi testes: Rex collaudabit. Ad istam
Concitus est vocem populus, trepidansq; satelles
Lethiferum tenuit, quem iam librauerat ictum.
Retro cohors agitur, contra obnitente Magorum
Agmine, te supra reliquos obstante Sacerdos
Impie, qui fueras infandi criminis auctor,
Et nunc auctor eras aliena cæde piandi.
Attamen hos inter, populo plaudente, reductũ est
Ad Regem regale agmen. stetit ante tribunal
Agglomerata phalãx. manibus post terga reuin-
In medio statuere reum. Qui dicere causã (ctis
Iussus, non aliud generoso è pectore promptum
Edere sustinuit, quam NON peccauimus. Vltro,
Incusare Magi: clamare Philostratus: ipsam
Dicere patrati sceleris testem esse Coriscam.
Nec grauiore alio quam Virginis ore reuinci
Posse putat, par esse putat. Suspensus & anceps
Cum Rex hæreret, dubiamq; in crastina causam
Tempora differret: præsens hæc fatur Iudas.
Inclyte Rex, nostrum si tanto à crimine fratrem
Non pietas, non religio, non cognita vulgo
Vita potest anteacta satis per se ipsa tueri:
Da precor infantem (quinis non amplius horis
Fors ille in lucem dubitatus venerat infans)
Protinus huc sisti. Faxo fatearis, inique
Damnatum insontem: tua Princeps iura retexes;

Lau-

Laudabisq; pium, quem mox rebare nocentem.
Ne multis: infans affertur. Apostolus illum
Sic rogat. (attonitus pendebat ab ore rogantis
Rex, circa illustri Satrapum *stipante corona,*
Millibus hinc super affusis, & millibus illinc)
Fare age: per qui te dudum, per qui omnia quōdā
Edidit, & præsens æterna lege gubernat,
Cui nos seruimus, quem corde fatemur & ore,
Impero: Dic, *scelus infandum si fecerit iste,*
Quod nunc arguitur? dic si tuus iste parens est?
*(*Mira *fides, comperta tamen) sermone diserto*
Et *plano, & forti mox talia reddidit infans.*
Nec meus iste Parens, *inquit, nec criminis huius*
Culpa hominē grauat vlla piū, sāctū atq; pudicū.
Obstupuere omnes: certumq; per aëra murmur
Infremuit: crimen populus censere Magorum,
Et petere infami meritas a sanguine pœnas.
Rex non abnuere: & factum purgare volentum
Nolle preces, nolle ora pati. sed rursus Iudam
Sedulus hortari, orare, instare: O *Pater alto*
Delapsus Cælo, *cui credita tanta potestas:*
Imperio coge infantem narrare secundo
Criminis auctorem, corruptoremq; puellæ,
Vt pœnas insons quas non luit, ipse rependat.
Hoc Satrapes instare omnes, ipsiq; parentes
Virginis ante omnes: hoc concio tota. Tremendū
Formidare Magi: pallere Philostratus. Omne
Agmen in euentum cupidas erexerat aures:
Cum rursus populum sic est affatus Iudas.

Innocuos, falso damnatos crimine, nobis
Conseruare licet, fictasq; auertere culpas.
Lex diuina vetat propriam cõtemnere Famam.
Vnicuiq; suum Dominus commendat honorem.
Ast alijs nocuisse nefas. inferre pudorem
Quamlibet impuris, ac fœda labe pudendis,
Relligio est nobis. At enim non vna facultas
Est Proceres *vobis inuestigare nocentem,*
Legibus vtentes vestris. Examine certo
Quaritasi cordi est. Nobis pia fœdera constent.

Ad Reuerendissimũ Antistitem Dominum meum N. C.

Regis Alexandri facinus par atq; Melonis,
Nunc breue, nũc longũ bis mea Musa *canit,*
Et tibi bis mittit. Nimium hoc si forte videtur,
Et lepide vlcisci nos pie Præsul amas;
Supplicium mihi canto. meis me confice telis,
Et bis Mellones tu quoque mitte mihi.

M. Ant.

M. Antonius Bonciarius HIERONYMO TETIO RVSTICANTI S.

Melopeponis mei, vnde vnde ad te odor peruaserit, frater meus heri nũciauit te cupidum esse gustandi. Do statim Aegidio meo negotium, vt ex penuaria cella deptomptum, & argento impositum ad te deferat. Affuit interim ex foro rediens, qui nunciaret te rus paulo antea esse profectum, nec ad quam diem expectareris, se habere cõpertum. Misi tamen nihilominus ad te domum, vt vel daretur postridie reuerso, vel mitteretur diutius cunctanti. Erit hoc omnino nouum, neque antehac vnquam nobis vsurpatum, vt muneretur pauper diuitem, & quidem munere rurali rusticantem, extremo Septembri Pepones. Verum enimuero meministi, quæ olim (opinor apud Plautum) docui te puerum munera picata, siue vncinata. Horum simile meum habeas licet, specie ho-

neſtum,animo prædonem. Audi obſecro Peponis lepidum facinus: quamquam eſt ipſe illepidus. Pepererunt otiola mea inter legitimos labores hunc infantulum circiter Calendas Sextiles. Is octiduo poſt, nihilo amplius, furtim domo egreſſus permeare vicatim cœpit domos amicorum. Miror nunc quonam modo præterierit tuã: ſed aut ignorabat,aut differebat. Senſium, Narducium, Fregium, alios: in his etiam Clericos Seminarij: etiam (quod magis mirabere) Antiſtitem ipſum conuenit,& ſe ſingulis inſinuauit. Nemo non perhilariter excepit,& liberaliter donatum dimiſit, quia puſillum,quia linguaculum, quia meum. Vetui ad extremum aliò ire, ne has viderer quaſi Litteras Patentes circummittere corrogatum Autumnalia, & ſtipes ruſticanas. Sed ſatis nugarum. Cupio tibi eſſe cordi,quod Thobias frater commendauit ſerium negotium,& mea referens in primis.Eam vero emptionẽ ſi ex voto ſortiemur, Pepones ſumus habituri, non ſolum aurem animumque, ſed nares etiam & palatum mulcentes. Vale.

MELO-

Melopepo
CVM MAGNO ALEXANDRO COMPARATVS,
Et ceteris terræ frugibus antepositus:
Ad
BALTHASARREM ANSIDAEVM
Summi Pontificis Pauli V. Bibliothecarium.

QVI fatuum dicunt, aut credunt esse Peponem,
Balthasar: hi potius, quam Pepo sunt fatui.
Quandoquidem non illi aliud, quã nomen Etruscum
Accusant. vanum criminis indicium.
Lingua hominẽ fatuũ (dicunt) Etrusca Melonẽ,
Et Mellonaginem pectus inane vocat.
Quid quæso nos ista premunt? non omnia rebus
Respondere opus est nomina prima suis.

Fac tamen esse opus. Ad linguam spectare priorē
Conuenit, vnde fluat vocis origo prior. (gū.
Lingua prior non hic alia est, quā lingua Pelas-
Inde ad nostra olim transijt ora Πέπων.
Ergo age quid Graijs, aut quid vox ista Latinis
Indicat? & qualem se probat esse Pepo?
Maturum, blandum, lepidum, mollem, atq; suauē,
Et quiduis potius denique, quam fatuum.
At Mellona nouus fatuum compellat Etruscus.
Vim nullam in Græcū nomen Etruscus *habet.*
Quid si vox etiam pro nobis pugnat Etrusca?
Causamq; hic etiam Mello Peponis *agit?*
Nam siue ab Latio, *seu deriuetur ab Argo;*
Melleus hinc illinc est Melo, *non fatuus.*
Quod si Thersites, cum dicere vellet Inertes,
Non timuit Πέπονας *dicere Cecropidas:*
Hic primum nos scire decet, quod Molle Latinis,
Hoc pariter Græcis singnificare Πέπων.
Atq; vt Mollem *hominem nos dicimus esse suauē,*
Et pariter Mollem *dicimus esse leuem:*
Sic cadit in Græcis. æque Leuis *atq;* Suauis,
Dicitur ille Πέπων, *dicitur iste* Πέπων.
Propria vox istic, non propria ponitur illic:
Ante Pepo Suauis dicitur; inde Leuis.
Et quia Thersites nimium fortasse licenter
In comites illud nomen abusus erat:
Propterea Πέπονος *defensor & vltor Vlysses,*
Vah quibus accepit labra superba modis!

Nunc

Nunc age, Cur hominē stultū Mellona vocamus?
An quia Melloni forma rotunda data est?
Arbitror. Et quoniam stultescere mala feruntur,
Mala, quibus pariter forma rotunda data est:
Si maius malum concedimus esse Melonem,
Stultior est inter mala minora Melon. (vsu
Sed magis hoc stultum est, propriū quod nominis
Doctus ab indocta discere plebe velit.
De verbo ista satis. Nunc rē videamus oportet,
Ipse vtrum sapiat, desipiatue Pepo.
Quod sapiat ratio est multis in millibus vna,
Quā refero: et ratio hanc vincere nulla queat.
Sola expendantur Natalia. Prodit in auras
Humidus exuctos cum Canis vrit agros.
Et quia cum sola metuit contendere Ficu,
Nullas cui fruges aestimat ire pares:
Tempora certa legit, valido cum liber ab hoste
Securus volitet sicca per ora virûm.
Nam duo sunt Ficus aliquo distantia tractu
Tempora. declinat cautus vtrumq; Pepo.
Expectat primum Sextilis ad vsq; Calendas,
Dum Ficus faciat pinguior illa fugam.
At vix expectat Septembris ad vsq; Calendas,
Dum Ficus redeat viribus aucta nouis.
Sed spatio in medio vacuum sibi callidus optat
Augustum. Augustus dum furit, ille domat.
Et neq; furtiuus tergum conuerberat hostis,
Nec redit aduerso conserere ore manum.

Ab

Ab latere interdum (sed rara) vel inde, vel inde
Cõminus arma mouẽt Persica, Pruna, Nuces.
Imbelles humilesq; hostes! Pepo despicit istos;
His nisi fert aliquam dulcis Iacchus opem.
Sic Macedũ *ille potẽs, & Mũdorum helluo* Ma-
Cũ magnis cupiẽs cõserere arma viris, (gnus,
Mazea *contempsit trepidum, Bessosq; fugaces,*
Indoluitq; sibi non reperisse parem.
At similis Regi, similis fortuna Peponi *est:*
Multum temporibus debet vterq; suis.
Fors faceret Magnus *vel retro, vel ante venires:*
Multos terra dabant Graia, Latina pares.
Si Pericles*, si Milciades, si clarior illis,*
Qui periturus egens, ni periisset, erat:
Siue quis ingenua patiens à stirpe Laconum,
Illa Lycurgæi *Martis alumna cohors:*
Seu qui non patitur moriens, telum ante reuelli,
Quam sentit clypeum se retulisse suum:
Quo tuus ãte Parẽs didicit ferre arma Magistro,
Cum puer inuicti Principis *obses erat:*
Deniq; si priscæ quisquam virtutis alumnus,
Et pariter dextra consilioq; potens,
Ante tibi sternendus erat, ferroq; domandus,
Quam premeres turpi colla Pelasga iugo,
Rex ô Alexander, vastum cantate per Orbem,
Qui genitus magno fingeris esse Ioue:
Crede mihi poteras assurrexisse Micenis,
Et tantum populo dicere iura tuo.

Quod

Quod si fors aliud te transportaret in æuum,
Cum Romana fugax horruit arma Tygris:
Si cum Scipiadis *poteras pugnasse duobus,*
Ex quibus hic Pœnum sternit, & ille necat:
Si te par aliud peteret, qui siue Iugurtham,
Siue Asiæ reges ferro, animo, arte domant:
Si tua cui quondam lacrymas excussit imago,
Dum sua fleret adhuc gesta minora tuis;
Iulius, à prisco demissum nomen Iulo,
Vnde nouum passa est Roma subacta iugum:
Si Gener infelix à nomine Magnus *& armis,*
Cecropio suetus reddere iura foro:
Cui vestros decuit frontem summittere reges;
Et capere à forti credita sceptra manu:
Siue quis illorum similis bellator ab armis
Irritaretur Dux ô, Alexi, tuis:
Cum quocumq; horum fors te cõmitteret, heu quã
Nunc tua splenderet gloria Magne minor!
Est igitur sapiens, Regisq; simillimus; ipsa
Si spectes ortus tempora, Melopepo.
Quid si iam pubes aut iam spectetur adultus?
Hercule prudentem non minus esse putes.
Cum se prægrandem videat fore; parcit in altum
Scandere, sed presso ventre recumbit humi.
Vt neq; discrimen subeat pessum ille cadendi,
Nec mater vastum ferre laboret onus.
Iam ne vulnifico pecudes se dente lacessant;
Cernite quam pingui cortice membra tegat.

Nec sapiens tantum, sed sobrius atq; modestus
Est etiam certa sub ratione Pepo.
Nam quia se tantum Sextili mense fruendum
Exhibet, *igniuomo cum furit ore* Leo:
Nō patitur, reliquū sibi porgi alimēta per annū,
Cum nihil altori porrigat ille suo:
Sed tantum donec florem fructumq; ministret,
Contentus menses viuere posse duo est.
I nunc: atq; voca stultum Tyrrhene Melonem,
Qui vel cuncta super rustica dona sapit.

MALOPEPONIS
Pars secunda.

T*ALIA, cum Satyros Nymphasque recumberet inter,*
Inter & agrestes Calliopaea *deas,*
Lata super cenam cantabat. Et omnis ad vnum
Visa Peponę̄ turba probare decus.
Inuida ad has laudes tātū commota Ficulna est:
Inuida, nec sat habens, quod foret illà prior.
Regalemq; dapem lautis excludere mensis
Conata, infra etiam pessima mala iacit.
Non tulit ingratam cena moderator Iacchus.
Et verbis illam mitibus increpitans,
Nullus Alexandro conuixit amicior, inquit,
Quam Pepo, *quā Bacchus. causa dat vna duos.*

Vna

Vna inquam dat causa duos, fortuna duorum
Tam similis Regi, quam fuit ille sibi.
Cur Pepo sic fuerit, longo Dea carmine pandit:
Cur ego sim, paucis causa docenda mihi est.
Ambo triumphatũ trãsduximus arma per Orbẽ:
Fregimus ambo acri monstra superba manu.
Ambobus posuit statuamq; aramq; vetustas.
Ei breue sit: nobis continuatur honos.
Fors etiam fratres fuimus, si Iuppiter illi
Est pater; vt mater mi fuit atq; pater.
At non ille tamen (sicut iactare solebat)
Nostra vel Alcidæ grandia facta premit.
Sed minor ambobus, dum vincere cogitat ambos;
Insipiens armis occubat ille meis.
Ante tamen lis cum socio mihi magna Pepone
Orta erat, vtrum vtri iura præesse darent.
Qui postquam Regis conuenimus ante tribunal,
Et breuiter causam dixit vterq; suam;
Rex ita decidit, medico suadente Philippo,
VT Pepo præcedat, postea Liber *eam.*
Concessi, retuliq; pedem, magnoq; sodali
Obsequor. ille præit semper, & ipse sequor.
Quod si nos posita reueremur fronte sodalem;
Nos, qui cenarum Rex sumus atq; caput:
Non ne verecũdos magis, & magis esse modestos
Vos decet, imperio subdita turba meo?
Tu pœnas ingrata dabis Ficulna Peponi,
Victrix victori cedere iussa tuo.

Cedere iussa: licet palmam tibi cesserit ille
Sponte *sua; palmam nunc ego habere veto.*
Atq; aderit cum forte Pepo *maturior, ante*
Quam tua laxarint pignora prima foros:
Aut contra si stare volet pugnacior vltra
Sextilem, *paucos & superesse dies:*
Quamquam tu redeas armis instructa secundis,
Arua nouis implens omnia militibus:
Gratia tunc etiam iubeo sit prima Peponi:
Et tua sit iubeo gratia, Fice, minor.
Sic meritum Ficulna *tuũ est. sic magna* Peponis
Iura ferunt, in queis anteit ille tibi.
Tu mane ordiris tantummodo prandia: quippe
Tantum mane sapis: vespere iam fatua es.
Tunc quoque sola sapis, comiteq; superba recusas;
Seu datur inuitæ, mox iterum fatua es.
Herculis exemplum reminiscere. Dũ simul apro
Vescimur in laribus Cynthia *virgo tuis:*
Ecce super mensam Ficus *Lucana. capessit*
Et vorat Alcides (mira, sed acta loquor)
Illico tam sæuos contraxit mente furores,
Tantusq; inuasit pectora Martis *amor:*
Vt nisi porrexem facientia pocula somnos,
Cordaq; letheis obrueremus aquis;
Non dubie insigni sparsisset clade penates,
Multoq; vndasset sanguinis amne torus.
Hinc furor Alcidæ in vulgus. tu cerne Ficulna
Quam fatua es: qui te diligit, infatuas.

Nullas

Nullas post epulas tua sunt commercia cuiquã
Dulcia.te vacuus non nisi venter amat.
Contra Pepo est semper sapiens,post, inter,et ante
Vescendum : mane, vespere, meridie.
Quin etiam comites recipit, quoscumq; rogatur,
Et maiestatem rex gerit vsq; suam.
Molle olus est domino gratum, sed gratior vdo
Sicca cohors, Assum, Caseus, Insitium.
Deniq; nos comites Pepo semper adoptet:& vltro
Insultet laqueis Parca maligna tuis.
Tu caue nos tangas inimica Ficulna. Falernum
Si calfacta bibas, certa venena bibas.
Ergo per id tempus regnanti cede Peponi
Non aliter, soleat quam mihi semper aqua.
Quod si pergis adhuc conuicia dicere Ficus,
Et te stare super posse Pepone putas:
Hoc equidem dico esse nefas, vt victa potentem
Supra victorem stare superba velis.
Accipe quod passa est simili pro crimine Lympha,
Lympha eadem nobis hostis, amica tibi.
Cum se stare super dignam censeret Iaccho,
Calcaretq; alto corpora nostra pede:
Non semel admonita est, vt sede quiesset in ima,
Et pondus tergo tolleret ipsa meum:
Quandoquidem sexum lex & natura minorem
Stare super sexu nobiliore vetent.
Sed frustra: insultans humeris maiore ruebat
Cum crepitu, late spumea & alta cadens.

Poeula

Pocula nuper erant imo ventrosa profundo :
Stringitur his collum : latius ora patent .
Carcere in hoc madidũ me olim sõnoq; grauatū
Abdidit : illudens & stetit illa super .
Angustum spiramen iter nos inter & illam
Cum daret ; hac repens ire laboro foras .
Et (temere inceptum!) per castra inimica cructus
Deferor , infuscans qua ruo cumq; viam .
Vsq; adeo dum trusi alta de sede superbam ,
Inq; suas caueas , & sua vincla dedi .
Praetereo , quoties nostros furtiua penates
Ingreditur , plenis insidiata cadis :
Et quoties armata gelu , me matris ab aluo
Vix reducem in cunis perdere saeua parat .
Ergo ego, desererem ne tantum crimen inultum ,
Cum valida longum conserui hoste manum .
Peiusq; accepi , & spatio maiore fugaui ,
Cum leuior, quam cum crudus & asper eram.
Donec ad extremum mensis aulisq; Potentum ,
Imo etiam rudium coetibus artificum
Suauiter exclusam ; per mollia rura fugacem
Pauperiorum humiles cogo subire casas .
Agnouit Ficulna minas , & victa dolore ,
Victa metu , iratum concidit ante Patrem .
Et veniam miseranda rogans , hac lege recepit ,
Quam legem dixit (Patre iubente) Pepo .
FICVS vt apposito reuerens Mellone recedat :
Siue manere volet , non nisi potet aquam.

Ad

Ad Reuerendissimum Antistitem D.

ALEXANDRVM BVRGHIVM

Satyra aduersus Poetas.

O*MNIA per Satyram mortalia carpere Vates*
Cum soleant, rarusque acres innoxius vngues
Effugiat: ne forte putes vitare nocentem,
Et scelerum conpage grauem, cultissime Burghi,
Phœbus Aristarchis eadem, sed parcius atque
Mitius irascens, hodie conuicia reddit,
Et pro non iure illatis, hæc iure reponit:
Si possint culpas aut lenius vrere nostras,
Aut agnosse suas. Crimen non tango nefandum
Et graue, quod pridem Latijs à finibus exul,
Paulatim terras obiens infecit Etruscas,
Dum docet ad cytharam numeros cãtare Tibulli,
Et castas iterum Mimnermus verberat aures.
Quale genus (si vera mihi mens augurat) olim
Vulcano sacrum vindex populabitur ignis,
Vel Neptune tua sordens purgabitur vnda,
Si Pluto stygijs non obruet ante cauernis.

Hoc igitur non tango volens, & sponte remissum
Prætereo. Nam nostra colit pomaria Pallas,
Virginibus comitata nouem, cœtuq; frequenti
Nympharũ Dryadũque *leues per prata choreas*
Ducentum. sæuus blanda cum matre Cupido
Debellatus abest, longumque his exulat oris.
Hoc ego quod queror & doleo, leue ducitur. at nõ
Est leue, si quod conueniat deceatue putandũ est.
Ad cælum si quando parant extollere quenquam
Laudibus, & meritis encomia grata referre:
Non animi dotes, non corporis ornamenta,
Non genus & patriam, priscorũque acta parẽtũ
Inclyta commemorant, & vero carmine tollunt,
Quod sollers natura docet, quod docta vetustas
Præcipit, & longo scriptorum comprobat vsu.
Sed potius commune Domus Insigne, Leones,
Aut Aquilas fœdosque Vrsos, vastosq; Elephãtos,
Et iumentorum & pecudum genus omne canẽdũ
Ornandumque legunt. Ex *moribus inde ferarũ,*
Siluestrique habitu Dominis super astra ferẽdis
Argumenta petunt, & vana encomia iactant.
Stemma homini priscum Leo *sit. generosius illo,*
Fortius & bello melius nihil esse, vel vnquam
Post-fore clamabunt. Alij quod contigit Ales
Sacra Ioui, aduersus fulmen latura gygantes;
Hunc esse imperio natum, sæuosq; tyrannos
Expulsurum aiunt. Suaues *cui dantur Olores,*
Aut Philomela, *diem pariter noctemque canoro*
Gutture demulcent; socium fratremque Maronis
Ger-

Germanum appellant, nostratibus ante ferentes,
Et neque te Flacco, neque te Nasone minorem.
At radios si Phœbe tuos, radiosue sororis
Ex te splendentis, siue aurea sidera quisquam
In gentilicio referat, patrioue suoue
Stemmate: *vt antiqui pariter, pariterque recētes*
Ducere ab excelso gaudent Insignia *cælo*:
Hunc vero ante alios iactant carum esse Tonāti,
Et natum placida populis in pace regendis,
Aeternumque alto sustollere nomen Olympo.
Hinc *sequitur, quā quisq; āplū, quā quisq; decorū*
Atque illustre magis fuerit sortitus auorum
Stemma, *vel ipse sibi confinxerit atque crearit,*
Hoc meliora illum, grauioraque sæpe lucrari
Commenta, *elogia, et Vatum figmenta recentum.*
Virtutis pretium non sane agnoscitur vllum.
Vis epigrāma, tuas quod tollat in æthera laudes?
Fac alto ducas cognomen ab æthere. Stellas,
Aut Lunā, aut Solē, aut ipsum pro stēmate Cœlū.
Finge refinge, vetus recoquens, aliudq; reformās.
Dux *audire cupis? fortem cape stemma* Leonem,
Nomen Aristandri, cognomen Abantis, Atlātis,
Vel simile antiquū, resonans, illustre, quod aures
Intonet, *& segetem Vati campumque patentem*
Suppeditet laudandorum, tua facta ferenti
Vel paria antiquis Romanis atque Pelasgis,
Vel super antiquos Romanos atque Pelasgos.
Quod si non Martis fera mœnera militiai,
Sed placidus te tangit honos, & docta sororum

Otia Castalidum : tua sint Insignia *Laurus,*
Myrti, hederę, fontes; Daphnin, Venerē atq; Lyaeū,
Et comites Nymphas referentia. grāde Maronis
Et Ciceronis habe nomen, cognomen, & omen :
Ingenio quamquam mediôcres inter haberi
Non mereare, humilem vix inuenturus in ima
Sede locum ; primos inter censebere vates,
Inter & eloquij celebres magnosque magistros.
Praeterea genus est aliud sublime ferendi
Laudibus ingenuos homines, solemne poëtis,
Qui pariter Latias, *pariter meditantur* Etruscas
Tempore in hoc Odas ; *ignotum Vatibus annos*
Ante ducentenos quos edidit Itala *tellus,*
Quos misere Argi. Cognomina, *nomina, sedes,*
Et patriam, dispungendis hinc inde figuris,
Atq; iterum compingendis ex arte retexunt :
Et quod non dicunt, id Vates dicere cogunt.
Vulgo Anagramma vocant, ex graeco fonte petita
Voce, alijs quondam nōn talibus vsibus apta.
Quod si nominibus nullum sit robur in ipsis
Ad solidas laudes & vera encomia : quippe
Cum sint arbitrio pueris imposta parentum :
Quis putet interpolatis, casuque refectis
In varias formas, momentum, pondus, & omen
Esse vllum? Stultos habuit sententia quondam
Vana Caballistas, *mysteria credere tales*
Mentis praestigias, deliria docta, suaues
Ingenij pestes, & virus amabile : demum
Non aliud quā quisquilias, papposque volantes.

PARS

Pars secunda.

A ST heu quid faciam? (dicat mihi
versificator,
Aut Vates nostra de gente) quotãnis eosdem
Hinc habeo celebrare viros, vin̄ semper eosdem
Inculcem numeros, cantataq; facta recantem?
Nam quia materies non suppetit amplior; & me
Vsque tamen cantare iterumq; iterũq; necesse est:
Rebus ab externis, vnde vnde parantur, oportet
Argumenta legam; cognomina, stẽmata, casus,
Euentusque omnes carmen laudemque daturos
Aucuper indagans; & serta recentia texam
Floribus ex isdem, facie non semper eadem.
Ast ego sic mallem, flores vt semper eosdem,
Et semper faciem tua Musa referret eandem,
Tempore post inquam certo; quam carmen inept
Atq; informe canas. Verax cum fundit Apollo
Et lepide pingunt Charites pia carmina, doctis,
Auribus & castis etiam repetita placebunt,
Si latuere diu tacitis inclusa tenebris.
Non aliter solita fruges dulcedine mulcent,
Longa reuescentem post interualla palatum,
Expertam illecebram moturis suauiter escis.
Argumentum igitur postquam cosũpseris omne
Propositũ, neque iam superet mirabile quicquã

Quod laudare queas: ad prima recurrere non est
Absurdum, non est inquam: nisi forte tacendum
Duxeris, & populũ iubeas meminisse quod olim
Est dictum, laudesque animo versare priores.
Namque ita te, Musamque tuã poscentibus olim
Excusare queas: O Amice, quod hactenus abs te
Patratum reperi facinus belliue domiue;
Id mea Calliope numeris expresse Latinis
Conata, & longum victuris tradere chartis
Ausa, quid in præsens possit narrare canendo;
Et celebrare nouum, nihil amplius inuenit in te.
Quid faciat? vel tu antiquum patiare necesse est
In gyrum remeare decus, factumque referri
Sæpius illud idem, fuerit quod sæpe relatum:
Vel fac adhuc inceptum aliud, non ante frequẽti
Auditum populo, cupidas quod mulceat aures,
Atq; noua languentem animum dulcedine tollat.
Musa nouos pariter tibi nostra reponet honores.
Potitius quondam (non longa est fabula) Martis
Flamen & Alcidæ pariter, templique sacerdos
Amborum, pro more habuit narrare quotannis,
Frigore vbi pulso reuiresceret auricomum Ver,
Et Zephyro pariente recens exurgeret annus,
Herculeum populo decus Herculeosq; labores,
Vindice quot quantos exhauserat ille nouerca.
Nam referebat, Vti quõdã geminos puer ãgues
Presserit, atq; his ornarit cunabula sertis.
Iunior vt fœtam diris serpentibus Hydram,
Ferro insultantem, multis iam fratribus auctã,

Pluribus

Pluribus augēdam gladio patre: vulnera partus
Queis fuit, et sāguis mater. Memorabat ad istac,
Fixit vt æripedem ceruam, monstroq; subacto,
Intactas segetes, & pinguia culta colonis
Restituit trepidis super Eoo Erymanto.
Nec tacuit, quo Stymphalides ex amne volucres
Corripuere fugam, furijs vrgentibus actæ;
Quamque armis viduata suis doluisset Amazon.
Amplius horribilem forti luctamine thaurum,
Atque Cleonæum per inhospita lustra leonem,
Et Diomedæas ipso cum rege quadrigas
Rettulit oppressas, atq; in præsepibus altis
Crudelem androphagis oblatum in pabula regē.
Addita monstrorum triplex victoria. corpus
Rex habuit Gerion triplex, tria Cerberus ora,
Et semper vigiles oculos Draco. funere primum
Triplice mactauit; stygio de poste secundum
Ad superos traxit, radiosque haurire coëgit
Cælestes, Solemque pati. vix lumina serpens
Indocilis dormire, alto conspersa sopore,
Clausit in æternam duro sub verbere noctem,
Et plantas auro grauidas, frugemque beatam
Ianitor occumbens incustodita reliquit.
Talia Potitius multos cantata per annos
Vsque recantabat; populis in templa vocatis,
Facundo exornans duodenos ore labores,
Præsidis acta Dei. Tandem pertæsus eosdem
Ire per anfractus, & calles semper eosdem
Ire recalcatum, cursosque recurrere cursus;

Constituit. & Martis postquam venere Calendæ,
Sic homines est affatus, quicumq; sub Aedem
Herculeam se contulerant audire canentem
Solemne officium, facta immortalia, nomen
Principis Alcidæ: Clari fortesque Quirites
Hoc audite breui. Facinus quodcũque per Orbem
Edidit immensum magno genitus Ioue, vindex
Terrarum, & domitor debellatorque latronum
Alcides; anno narrauimus ante propinquo,
Vosque ipsos meminisse omnes illa omnia par est.
Tempore in hoc aliud nõ nouimus esse patratum
Herculea inceptum dextra. Vos, donec habebo
Herculis acta recens, miranda, et digna referri;
Contenti antiquis, contenti estote relatis.
Hactenus Orator. *Læti applausere Quirites.*

Ex libro vltimo Voluminis secundi non dum vulgati, Epistolę *quattuor huc facientes, atq; ad* Poëmata *spectantes.*

M. Antonius Bonciarius Alexandro Magio.

R*omam*,

SI tam suauiter ac perite cantassem, quã certe cantaui copiose atq; largiter de nostrorũ Trãslatione Sãctorũ; male mihi metuerẽ amabilissime mi Patrone. Vererer, ne in Olorẽ ex Ansere

mutatus

mutatus, fatũ mihi & propinquas exequias defleſ ſem. Sed hac quidem a cauſa mortualis non ſum. Effudi pauculis diebus (certe menſem non implerent) Herculano auſpice, carminum fere quattuor millia. nam vt Odas, Epigrammata, Emblemata omittam, quorum non Decadas fecimus, ſed Hecatones: itaq; Centimetrum inſcripſimus: Poëma compoſui quattuor diſtinctum iuſtis voluminibus. titulum feci TRIVMPHVS AVGVSTVS. in eo Martyrum noſtrorum vitas poëtice diſſerui, & pompam totam atq; apparatum illius celebritatis repingere ſum conatus. Typis continuo liber dabitur, vix nouem compreſſus hebdomadis, ne dum totidem aut menſibus more prægnãtium, aut annis Cenſore Flacco. Noſti autem, Magi eruditiſsime, noſtram Camenam: & quam non facile cantet mera ſeria & grauia. Luſus iocoſq; interſtrepat neceſſe eſt: alioqui defectura planiſſime, niſi talibus ſubinde inſtauretur lenimentis. Dum igitur illa deſcribuntur, & à doctis cenſentur; hæc ſe commodum ad ſolemnes nugas. Melopeponem fatuitatis accuſatum, ſolo fere natalium teſtimonio exhibito, tuetur, & cum Magno Rege cognomine tuo comparat. Non diffidimus, te a nobis futurum, De Illuſtriſſimo Cardinali Beuilaqua dubitare nos Bacchus cogit, qui bibere aquam non patitur Mellonem: Ficum vero illius hoſtem non patitur ſolum, ſed iubet, mulcta etiam indicta.

Deum

Deum precor Optimum Maximum, vt Patronis meis parem voluntati facultatem indulgeat, de Musis earumq; cultoribus merendi. Perusiæ III. Cal. Septembris CIƆIƆCIX.

M. Antonius Bonciarius Io: Baptistæ Sacco

Mediolanum.

DIES instat, vel potius iã iam aderit, B. Bernardo Præsidi sacer. vnum quatriduum interest, nihilo amplius. Quare aliam excusationẽ festinationis ac breuitatis afferre necessũ nõ est. F. Dionysius de Pẽna, nobilissimus nostrę Ciuitatis, & mei amãtissimus cum istuc subito iter arriperet; hoc dedi homini litterularũ, ne omitterẽ paratã & sese offerentem tui salutandi occasionẽ, qui soleo etiam aucupari, & vnde vnde captare fugientes. Dabo eidem ad te, si poterit ferre, tria quattuor exempla minorum lucubrationũ, quas istic expetere audio viros eruditos, tui colentes, mei amantes. Seraphiden Ioanni Matthæuccio reddes, si reposcet. Centuriam donabis H. Centurioni. Peponem, nisi admodum erit insipiens, commanducabitis vterque. sin penitus nihil sapiet, prægustatum expuetis pariter vterque. nulli præterea dabitis vel odorandum. Ego sic

habui

habui nuper defendere circumuentum à calumnia, quam familiaris amicus obiecerat inter ſcyphos; vt etiam illud indignans conqueſtus fuerim, præſente Baccho reum fieri Peponem, quibus conueniat tam fraterne. Dicebat, Mellonem ab neſcio quo ſcriptore perantiquo accuſari fatuitatis: & a Boccaccio Mellonem pro homine inſulſo, Mellonaginem pro inſulſitate atq; ineptijs vſurpari. Concepit ex tempore non Calliopa, ſed Melpomene iram, ſuo tamen more officioſam & iocularem. noctu dormijt affatim pota: mane pręgnans expergiſcitur: & hunc ſubito effudit ſimplici niſu fœtum abortiuum. Vt Pepo autem ipſe ineptus non ſit, meum hunc vereor ne ſit: aut ne ſim ipſe primum ineptus, iſta perſequens nugacia cum grauibus viris, deinde ne mendax, qui pro ſchedula feſtinata iam impleo alteram pagellam. Fac valeas, & ad Clariſſimnm E. Puteanum ſcribens, adde a nobis plurimam ſalutem. Peruſiæ XVII Cal. Sextil.

M. Antonius Bonciarius P. Iacobo Mercato

Romam.

MIraberis nouum inuentum, incluſas litteras Etruſcas in ſchedulam latinam. Illas heri

heri vesperi dictaui cum similibus sui & alteris & alteris. hanc do mane post acceptas a tabellario Romanas duas, quibus eodē momēto, eadem lingua fuit rescribendū. Et ad cetera quidē, paginis resignatis, patebit abūde responsū. poscripta hæc Melopepo vindicat sibi. cuius dimidium festinanter, & ideo inconcinne, fors etiam mendose puer affert exaratum. Prior ipse degustes velim in Promocondio, aut cubiculo tuo solus: deinde, nisi ego & ille pariter desipimus, in conuiuio amicorum proferas palam. potes, si videbitur, supprimere auctorem. ita existimo facilius, certe minore cum periculo, deprendes melius nasutos, & me libere docebis liberam censuram. Importunum amiculi putabant donum meum, quod dicerent preterijsse tempus vescendi Peponibus. Ego contra reputabam, anni tempus facere plusculum a nobis. sunt enim magis miranda, & eam ob causam magis grata, quæ alieno tempore proueniunt, quam quæ proprio & suo. sic rosas hibernas, & glaciem ęstiuam ita admiramur, vt etiā in delicijs habeamus. Igitur meus Melopepo, quamquā cetera erit insulsior, in hoc certe sapiens censebitur, quod proditurus in illustre symposium, fugam expectauit ceterorum: vt quam gratiam aliena frequentia detraxisset, hanc sibi solitudo & raritas conciliaret. Vale. Perusiæ Calendis Nouembribus.

M.A.S.

M.A.S. Publio Petreio Stirpio S.

Placentiam.

DVO admodum inſtāter poſcis vt mittā tibi, eruditiſſime atq; humaniſſime vir, Triumphū Auguſtum M. Antonij Bonciarij, & ſeriem Operū ab eo deinceps cudēdorū. Non potui Triumphū. ſub prælo adhuc latebat. ſpero ante Quinctilē foras proditurum. habebis primus, vel certe inter primos. Seriem vero & ordinē librorū, qui (Deo auſpice) continenter venient ad lucē; ego proxime confeci, & ad alios pariter flagitantes mittere debeo. Redigam huc, quantum potero in compendium. Scrinia & arculas plane omnes diligenter excuſſi: Aduerſaria, Diaria, Schediaſmata, & ſcripta omnia, quæ nunc quidem in manibus ſunt (permulta enim perierunt. cuſtodire numquam ſatis potuit Cæcus, quæ interdum vix poſſunt bene oculati.) quæcumque igitur ex illo tamquam naufragio collecta ſunt, ego per pluſculos dies cum eo ſimul recognoui, & nunc curo ex autographis deſcribenda, vt primum a doctis cenſeantur, deinde illorum conſilio atq; iudicio corrigantur, poliantur, in publicum dimittantur. Tomos Operum iuſtæ magnitudinis de-

ſignauimus

signauimus circiter duodecim, alium post alium mox excudendos. Triumphus Augustus tempore postremus, dignitate primus familiam ducet. in qua ordine procedent Seraphis, Gerardus, Hieropylus, heroica omnia vel noua, vel nouata. Secundum Tomum duo component valde inter se affinia, licet alterum cantet, alterum loquatur, Bellum Litteratorum, & Dialogus De Ludicra Poesi. Tertium & Quartum Epistolæ implebunt, quas selegimus diligenter ex omni numero cum veterum, tum recentium. ego vero secundũ ordinem temporum ita singulas digessi, vt faciẽ quandam perpetuæ historiæ repræsentent, legentibus periucundam, vt nos quidem experimur. Quinctus Orationes, Sextus Disquisitiones, Septimus & Octauus Analecta siue Varias lectiones complectuntur. Denique Nonum ac Decimum absoluunt Opuscula varia, in his quædam ad Philologiam, & Phisiologiam spectantia. & hæc quidem partim descripta sunt, partim non aliud quam describere oportet. Iacent in ipsis Aduersarijs, vel iam cofecta, vel certe sic affecta, vt pro confectis haberi possint. Vbi autem, inquies, Hexameron plus istis omnibus expetitus, & expectatus? Posset fieri, vt etiam prior omnibus iste in publicum prodiret, sed ego propterea mentionem illius non feci, neque nunc refero in Catalogum; quia totus a capite ad calcem retexendus est, atq; in faciem longe dissi-
similem

milem reformandus, Dialogo inter nobiles ſodales introducto. Etiam Coronam Anni, ſeu Faſtos ſacros cum Idyllijs & Epigrammatis iccirco prætermiſi, quia multi adhuc Cælites ſuperſunt non cantati. Apologiam pro ſuis Epiſtolis italice ſcriptã, alias etiã propter cauſas mittere dubitat in lucẽ; ſed potiſsimum quia poſt deceſsit Horatius Lombardellius, qui-cum fuerat inſtituta diſputatio. Habes ad ea, quæ volebas plane omnia. vnum accipe tãquam pro auctario, quod tametſi nullus poſtulas, deſideras tamen, atq; audies libenter. Quando, inquis, arbitramini Tomos iſtos ſiue decẽ, ſiue octo fore vulgatos? Niſi quid ſecus eueniat, poſt ſeptennium, aut non multo amplius, ideſt quotannis vnum. raro pluſculum alterius. Hic prior totum ferme occupauit annum. Plures hoſce tanquam infantulos, aut celerius eniti ad lucem in hoc quidem graphico puerperio, cũ his obſtetricibus, in hac fortuna, in hac anguſtia rei familiaris, ac penuria Compatrum liberalium prorſus non licet. Si quid horum forte mutaret ac verteret in ſubſidium (quod hercules non ſperamus) etiam de celeritate poſſem melius polliceri. nunc tantum polliceor, meam ac Bonciarij voluntatem fore tibi ſemper addictam, atq; obſequio paratam. Vale Peruſiæ Poſtridie Nonas Maij CIↃ IↃ CX.

FINIS.



In Auguſta PERVSIA

Apud Marcum Naccarinũ

Conceſsu Superiorum.

CIƆ IƆ CX.